XXVI

1/. 2. 129

15 F. 2

Digitized by Google

Ognissanti
N°: 1100:

Digitized by Google

Digitized by Google

J. NICOLAI BANDIERAE

DE

AUGUSTINO DATO

LIBRI DUO

AD

J. VINCISLAUM PICCOLOMINEUM ARAGONIUM

S. R. I. PRINCIPEM.

ROMAE, CIↃ. IↃ. CC. XXXIII.

Typis Joannis Zempel propè Montem Jordanum.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

AMPLISSME, AC PRAESTANTME

PRINCEPS.

AUGUSTINI DATI hiſtoriam editurus, ſaepenumero cogitavi, cui potiſſimum

Digitized by Google

eamdem inſcriberem. Cum enim, jam ab hinc ferè ſeſquiſeculum, ejus familia planè defecerit; nec praeterea, quod ſcirem, aliquis eſset, qui ſaltem ex Datiana foemina proficiſceretur, dubius ancepſque erat animus meus, nec facili negotio ſeſe hinc expediturus videbatur. Ubi verò animadverti Auguſtinum Datum PII II. PICCOLOMINEI *fuiſſe ſtudioſiſſimum, ſtatim, omni cunctatione abjectâ, alteri ex*

PIC-

Digitized by Google

Piccolomineis rem inſcribendam ſum arbitratus. Et in iis tibi imprimis VINCISLAE Praestantissime, quod non ſolùm ampliſſimis, ut nonnulli eorum, Dynaſtiis, auctoritate, opibus, ac clientelis polleas, verùm etiam longè antecellas. Unus enim, inter eos, S. R. I. Principis honorem, & in Imperii comitiis locum & jus ſuffragii obtines; quodque de Germanorum rebus, ac de Republica ſentis,

tis,

Digitized by Google

tis, palam, in tantorum Procerum conventu, dicere potes. Neque haec ampliſſimi honoris indicia Octavio Piccolomineo *Aragonio ſola* Ferdinandi *Caeſaris benevolentia peperit, ſed Germanorum Principum Collegium, atque imprimis Septemvirûm. Qui, his maximis honoribus inclytum Virum cumulandum curarunt, quòd de re Germanica eſſet optimè meritus, ſupremus armorum impera-*

tor

Digitized by Google

tor fuerat, tot bella proſperè geſſerat, MARIAM SAXEN-LAVEMBVRGAM, *unde* PICCOLOMINEIS *tot ortae ſunt cum maximis Principibus affinitates, ſibi deſponderat, reſque Auſtriorum cum* CAROLO GVSTAVO *Bipontino, qui, & ipſe Svecorum rebus componendis praeerat, quique ejuſdem Gentis Rex poſtmodum fuit, tandem compoſuerat. Tot profectò praeclara facinora, quae nonniſi*

niſi a ſapientiſſimis V*iris proficiſci potuerunt, paternae Sylvii Comitis ſollicitudines edidere. Hic enim, poſtquam Comeſtabilis ac Prior Piſarum* (a) *fuit, diuque* Cosmo *II. Etruſcorum Principi a cubiculi praefectura, atque ab admiſſionibus fuit, in militiam cum Imperio profectus, prima filium ſtipendia apud ſe in Bonnae expugna-*

(*a*) Piſarum Ordinis Equeſtris S. Stephani *Prioratum*, haereditario jure ab hinc ſeculum eoque amplius, Ferdinandi Secundi Etruriae Magni Ducis auctoritate, obtinent Principes Piccolominei.

Digitized by Google

pugnatione mereri voluit: Tum in Euboea, hinc in Dacia, & ubicumque demum Caeſaris armis praeeſſet, ipſum de iis rebus, quae eſſent propriae belli adornandi, inſtruendi, adminiſtrandi, gerendi, cum praeceptis inſtitutiſque, tum conſuetudine uſuque edocuit. Dumque de militaris imperii rationibus ſermo eſſet, non deerant pacis artes, quibus aliquando inclytus Octavius *imbutus, opti-*

mo jure, ut diximus, ampliſſimos tandem honores obtinuit. Hanc a majoribus tuis accepiſti gloriam Ampliſsime atque Optime VINCISLAE. Haec virtutum ac laudum exempla majores tui, per LAVRENTIVM *Patrem tuum, tibi cum excelſi animi dotibus, veluti per manus, reliquerunt. Vtque tibi omnia ad felicitatem ac laudem eſsent, acceſserunt* ANNAE VICTORIAE KOLLOVRATAE *praeſtan-*

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimae matris tuae, optimae ac praenobilis foeminae celſiſſimi animi ac praeſtantiae ſummae indicia. Haec enim, ut de celebri CORNELIA *Graccorum matre legimus, marito immaturè nimium defuncto, in perpetua ſolitudine etiam atque etiam curavit, uti juventus tua, optimis literis, ſuaviſſimis moribus, ſummaque humanitate imbueretur. Per hanc igitur, quâ polles felicitatem, perque laudem, ad*

quam, iis de cauſis, tibi toto pectore eſt incumbendum, hunc meum accipe laborem: Rem hiſtoricam, Oratoriam ac Philoſophicam hìc habes. Sunt haec veluti patrimonium, Genti tuae haereditarium. Praeclarèque mecum actum putavero, ſi, conſuetâ tuâ humanitate hoc, qualecumque eſt, opus meum, excipies.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES.

J*Ohannis Nicolai Bandierae de Auguſtino Dato Libros Duos*, qui Senenſis Bibliothecae, quam adornare auctor eſt meditatus, pars quaedam habendi ſunt, mandante Rmo P. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Apoſt. Palatii Magiſtro, cum legerim, Auctorem ipſum pro eximia ea, quam, in Eruditorum Virorum memoria reſtituenda & illuſtranda locat, opera, atque induſtria, de Patria ſua, totaque literaria Republica bene, atque egregiè meritum puto. Libros verò, cum nihil continere ſint viſi, quod rectae Fidei, boniſque moribus minus conveniat, dignos planè cenſeo, qui publicam in lucem poſſint educi. In quorum fidem &c.

Ex Aedibus S. Calliſti die 24. *Decembris Aerae Vulgaris Anno* 1732.

D. Georgius Thiera Congregationis Caſinenſis Prior, & Sac. Indulg. Cong. Conſultor.

M. S. Codicem, cui Titulus = *J. Nicolai Bandierae de Auguſtino Dato Libri Duo ad J. Vincislaum Piccolomineum &c.* Rmo P. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Palatii Apoſt. Mag. iubente, perlegi; nihilque in illo Sacroſanctae Chriſtianae Romanae Religioni, aut probis moribus

ribus

ribus diſſonum offendi ; immo omnia Clariſſimi Viri, de quo agitur, monumenta, accuratè admodum, multaque cum laude, ab eruditiſſimo Auctore recenſita & enucleata; quaeque, pro ipſis Dati perlectis operibus, planè ſufficere poſſint legenti. Cumque hanc Auctor particulam tantùm Bibliothecae Senenſium Scriptorum, quam in Adverſariis habet, magna ex parte, aſſerat eſſe; optandum, ut Praeclariſſimae Urbis Claros Viros, eorumque opera, in lucem proferat omnia. Interim, quem ſic perlegi, integrumque Fide ac moribus Codicem inveni, ut is in lucem proferat, aequiſſimùm judico. Romae Octavo Kal. Januarias A. V. P. CIↃ. IↃ. CC. XXXII.

Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu, in S. Athanaſii Magni Collegio Studiorum Praefectus, & Sacrae Theologiae Polemicae Lector.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

N. Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Praed. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

PRAE-

PRAEFATIO.

Quintum ab hinc annum Senenſem Bibliothecam conſcribere inſtitui ; in qua , non ſolùm cujuſque ordinis , ac dignitatis Scriptorum mores, ingenium , res geſtas, germanamque , ac veram effigiem , ex eorum potiſſimum operibus , ſum complexus ; verùm etiam eorumdem omnium operum Hiſtoriam, propoſitum , Oeconomiam , ſtylum , menda deſcripſi ; unoque verbo, noſtrorum hominum, in philoſophando , argumentando , ſentiendo , ſcribendove virtutes , & vitia recenſui. Et jam in eo eram, ut rem , improbo ſanè , ac pertinaci labore ad umbilicum ferè perductam , typis edere aggrederer .

Cum

Cum ea, quae ad meum hujuſmodi negocium pertinerent, mecum ipſe, ut aſſolet, reputans, animoque volvens, plura perſpexi; Quapropter initum conſilium, ſi non deponerem omnino, aliqua ſaltem ex parte mutarem. Memoriâ etenim repetebam, complures clariſſimos, ſummaeque auctoritatis ſcriptores, egregiam licèt pro re literaria navaſſent operam, & laboribus ac vigiliis hinc fuerint propè confecti, perpaucis tamen opera ſua probaſſe, & a multitudine, optimarum rerum plerumque ignara, aut ſaltem leviter erudita, pro laude vituperationem, contumeliam pro honore, contemptum pro exiſtimatione, & gloria retuliſſe. Veniebat praeterea in mentem, noſtro-

rum

rum temporum de literariis operibus judicium; quod tam multiplex eſt, tam varium, atque diſſimile, ut mirum planè ſit, ſi ex iis, qui emunctiſſimae naris ſunt, & bene docti, aliquis demum hac aetate ſit, qui legentium, vel ſatietatem, vel imperitiam, aut moroſitatem parvipendens, animum ad ſcribendum adjiciat. Hinc verò potiſſimum profectum eſſe crediderim, ut apud nonnullos, non ſatis fortaſſe doctos, minus certè ſapientes, ſoliſque librorum indicibus, praefationibus, typorum, chartarum, marginum, aliarumque hujuſmodi rerum, ac ſtudiorum lenociniis inctructos, ejuſmodi opinio invaluerit: Eruditis nempe hominibus a ſcribendo omnino abſti-

Digitized by Google

nendum, bonaſque horas, potius in indoctorum, qui paſſim eduntur, libris eſſe collocandas; eâ gratiâ, ut, dum ſingula illorum vitia, in quotidianis literariis conventibus exagitantur, eorum authores, pro deridiculo habiti, debitas luant poenas, ſuiſque cenſoribus invidioſam praebeant voluptatem. Quod quidem conſilium, longè ſtultiſſimum, literiſque, atque adeo univerſo hominum generi pròrſus exitiale, cuique, non iniquo rerum aeſtimatori, dubio procul videbitur. Si enim, quae iſtiuſmodi homines nunc, majores etiam noſtri olim ſenſiſſent, perfeciſſentque, profectò in ignorantiae tenebris perpetuò jacuiſſet Terrarum Orbis; nec tot, tantiſque, ac tam variis

lite-

literariis monumentis in praeſentia frueremur. Haec, & alia bene multa mecum ipſe animo agitans, ex aliorum fortuna conjecturam de me facere coepi; ut qui optimè intelligerem, quàm, ex ijs quae diximus, periculoſum ſit in ſcenam literariam prodire, geſtum iis ſpectantibus, qui, in quocumque argumenti genere, Roſcios ſe eſſe arbitrantur; quàmque longo intervallo ſequerer viros, aetatis noſtrae doctiſſimos, quàmque denique potiori jure cenſoria ejuſmodi virga mihi eſſet timenda. Ut igitur iis, quae ſupra memoravi, incommodis aliqua ex parte occurram, eorumque hominum tela, quoad liceat, declinem, univerſae quidem Bibliothecae, in praeſens edendae, conſilium abjeci; ſatis

tis habens, ſi particulam ejus aliquam in lucem proferam, quae ſpecimen quoddam reliqui totius operis, ac laboris praebeat. Eo conſilio, ut, ſi qua in ea fuerint, quae hominibus bene doctis, jure meritòque diſpliceant, ad eorum ingenium, & voluntatem eadem corrigam; eaque ratione rem demum univerſam in Literariam Rempublicam inferam, Auguſtini Dati hiſtoriam prae coeteris placuit ſeligere, quòd in eo multiplex laudandi ratio occurrit, atque in ejus operibus plura, eademque diverſa ſunt argumentorum ac rerum genera. Non enim Datus eam vivendi rationem ſuſcepit, ut ſibi uni, ſalutique ſuæ conſuluerit, & Monaſticam, quam vocant vitam, per-

petuò victitarit. Fuit etiam, ad Platonis, ac Ciceronis ingenium amicorum, ac cognatorum amantiſſimus, rerumque domeſticarum pater familias prudens & attentus; Reique publieae, conſiliis, multa oratione, & quandoque etiam Imperio non ſolùm adfuit; verùm ſcriptis quoque eamdem auxit, ornavit. Quoniam ad ejus ſcripta quod pertinet, ſunt in iis nonnulla, quae ad rem Theologicam, plura, quae ad Philoſophicam, non pauca, quae ad Oratoriam, Hiſtoricam ac Philoſophicam pertinere arbitramur. Auguſtini quidem Dati res geſtas Nicolaus filius in Oratione de paternis laudibus non hiſtoricè, ſed oratoria quadam, ſeu potius poetica ratione complecti curavit. Sed

cum

cum plurima, & ea imprimis, quae in paternum honorem confe-runt, hominem praeterierint, nec pauca ipſe, levia admodum, atque inania ſuffecerit, contigit hinc, ut ejus effigiem non ſolùm haud re-preſentarit, ſed modò hujus modò illius ingenii, atque induſtriae il-lum fuiſſe prodiderit. Hujus igitur optimi doctiſſimique Viri hiſtoriam conſcripturus rem totam duobus libris digerere placuit. Prior ea omnia complectetur, quae, cum ad ejus vitam, tum ad nonnullos, qui eumdem, cognatione contigerunt, pertinet. Alter cum Operum ejus hiſtoriam atque judicium exhibebit, tum in eodem de illius ſcriptis, luci huc uſque ſubductis, deque iis, quae filius edidit agemus. Haec omnia

dum

dum ſcriberemus nihil antiqujus veritate duximus, Ciceroniani illius canonis memores: ne quid falſi audeas, ne quid veri non audeas, ne qua ſuſpicio ſit gratiae, ne qua ſimultatis; quod quidem cum poſtulat ratio ipſius hiſtoriae, quam teſtem temporum, ac veritatis lucem hinc Cicero (*a*) appellavit, tum ut eruditi probè intelligant, non aſſentandi, vel imponendi ſtudio nos litterarium hunc ac pertinacem laborem ſuſcepiſſe, ſed, ut quam majores noſtri literariis operibus ſibi laudem pepererunt, quaeque minus accuratè ſcripſerunt, Lectori benevolo oſtenderemus. Noſtrorum ſanè hominum ingenia, ut multis rebus judicare poſſumus, multùm pleriſ-

que

(*a*) De Orat. lib. 2.

que Italicae Nationis hominibus praeſtiterunt, ita ut ferè bis mille fuerint, quorum literariae haereditatis adhuc nonnulla ſuperſunt. Neque ipſe diffiteor, ex illis triginta ſolùm aut quadraginta (quod quidem non facilè in quibuſque vel maximis civitatibus invenias) ejus rationis eſſe, ut eorum nominis gloria apud eruditos floreat. Fuiſſent profectò plures, niſi, in magiſtrorum imperitia ac parentum indulgentia, tantùm praeſidii inveniſſet ad ocium prona juventus, aut non defuiſſent ſapientiae ſtimuli, opes nimirum, proemia atque honores, vel demum, quod magis crediderim, inſita quaedam, ſeu innata potius optimis ingeniis incuria, nullomodo majores noſtros

affe-

affeciſſet. Quoquo modo hujuſmodi res contigerint, dent mihi Senenſes mei hanc veniam, ut, cum ſeſe dabit occaſio, non dubitem quod ſentio dicere. Mirum itaque nemini videatur, ſi nunc primùm in ipſo Dato ſaepenumero, & in poſteriori imprimis libro, ejus philoſophandi judicandique methodum aliquando vellicem, & quandoque etiam planè reprehendam. Haec profectò humanus lector, rerumque aequus aeſtimator benignè, mitiorique ingenio accipiet, ſi decimiquinti ſeculi, quo Datus floruit, litterarium ac Philoſophicum ingenium ſeriò conſiderarit. Quo tempore, non ſolùm Arabum Philoſophicum ſtudium, monſtroſa verba, ac cogitationum portenta ve-

ram ſapientiam plane deleverant; ſed ipſe quoque amoeniores literae oculos latuſque vix attollere videbantur. Quae hìc narramus ex ejus operibus plerumque accepimus; imprìmis verò ex primo epiſtolarum libro, ex quo Auguſtini ingenium, ſtudium moreſque deſcripſimus; plura tamen adjecimus, quae alii, cum ejuſdem aevi, tum recentiorum temporum ſcriptores tradiderunt. Sed ad epiſtolas quod attinet, cum nullis annorum ac temporum notis eaſdem Datus ediderit, nullomodo, quemadmodum in pluribus Senenſium hiſtoriis fecimus, cronologicam hiſtoriam pertexere licuit; Ita ut fortaſſe aliquando nonnihil narratum habeas, quod poſtmodum contigiſſe arbitreris. Ad

Da-

Datorum quod attinet Nobilitatem, cum eorum haud cognita nobis ſint initia, nec ejus veſtigium aliquod ante ſeculum quintum & decimum, in Senenſium commentariis invenerimus, ea ſolùm ſtatuimus, quae probabiles conjecturae, atque argumenta ſuadebant. Digredi aliquando placuit, & imprimis, cum de Auguſtini noſtri, in Oratoria arte, praeſtantia ageremus. Nam cū coetera ejus ſcripta hominem prodant doctum atque eruditum, quae ſpectant imprimis ad artem Oratoriam, quaeque non pauca ſunt, Datum diſertum adeo atque eloquentem Oratorem produnt, ut vix ac ne vix quidem, per eam tempeſtatem aliquem invenias, qui Dato anteiverit. Ad ejus effigiem

melius feliciuſque exprimendam, excerpta ex ejus operibus, ac potiſſimum ex epiſtolis, quae ſermonis & animi noſtri imaginem eſſe conſueverunt, non ſemel hiſtoriae noſtrae inſeruimus; rati Datum melius effingi haud poſſe, quàm ſi propriis ipſis verbis, tanquam optimis lineamentis ipſum depingeremus. Hoc fecerunt ab hinc unum, itemque alterum ſeculum nonnulli, qui Sanctorum Patrum hiſtorias, initio eorum operum, conſcripſerunt: hoc fecit vel ipſe Cicero, qui, tertio libro de Oratore, Craſſum ſuum, immortalitate dignum collaudans, non ſemel ejus dictis, ſuis ipſis verbis, ſuoque ipſo ſermone eſt uſus. Non rarò, ad calcem cujuſque paginae, annotatio-

nes

nes adjecimus, quibus vel res ipſae comprobantur, aut non nihil clarius illuſtratur; excerptumque praeterea, ex ipſius Dati, aut alterius operibus, addidimus. Sermone, contra quàm amici longè doctiſſimi ſuadebant, latino uſi ſumus, in gratiam eorum, qui tranſalpes incolunt. Voculas aliquando minus latinas, ac planè barbaras, uſurpare opus fuit, cum ut ingenio eorum temporum, inductiſque in rempublicam Magiſtratuum, Ordinum, ac Sacerdotiorum nominibus vel ſtylum ipſum, quoad poſſet, accomodaremus, tum ut rerum veritas, nullo verborum rerumque ſupervacaneo ambitu involuta, legentibus planior fieret. In nominibus autem locorum, oppidorum, & urbium

ple-

plerumque ipſum ſequuti ſumus Datum; qui non rarò, relictis veteribus, ea adhibet nomina, quae, per eam tempeſtatem, jam inducta erant. Scio profectò non defuturos, qui, cum unam ſcribendi laudem putent eſſe brevitatem, me reprehendent, quaſi Clarorum Virorum res exornaverim, non narraverim; & parva ac minima ita illuſtraverim, ut earumdem fines viſurus ſim protuliſſe. Verùm, cum, quemadmodum ſupra diximus, Senenſium Scriptorum veram effigiem edere conſtituerim, non compendiaria, ſed hac, qua uſus ſum ratione, rem fuiſſe perficiendam judicavi. Utcumque ſit, quemadmodum in hoc, qualicumque labore meo, nihil potius mihi fuit, quàm ut ve-

rita-

ritatem inveſtigarem ; Senenſiumque literarios labores, non quemadmodum eſſe debebant, ſed qua ratione fuerunt, Civibus meis, tamquam majorum imagines proponerem, ita ſi fortè, quis mea haec probabilioribus conjecturis, atque argumentis coarguerit, atque evicerit (a) Ego ingentes illi gratias agam. Ut qui in hoc literario certaminis genere, multò aliter, atque in coeteris evenire intelligo. In aliis enim, qui vincuntur, quidquam ferè ſemper detrimenti capiunt; In hoc verò qui vincitur, ſanus modò ſit, mentiſque bonae, lucrum haud dubiè facit, quòd ignorantiam rerum omnium turpiſſi-

(a) Non enim inexercitatis ſcribimus, ac literarum & politioris humanitatis expertibus.

Digitized by Google

piſſimam exuit, & pro illa ſcientiam, quâ nihil dulcjus, nihilque ſuavjus induit. Hinc fiet, ut ad optimorum ingenium ac voluntatem, laborum meorum menda, vitia, quaeque jure diſplicent, corrigam; eaque ratione, atque oeconomia Bibliothecae meae ſupremam manum imponam.

DE

Digitized by Google

DE AUGUSTINO DATO
LIBER I.

DATAE Familiae parum nobis cognita initia ſunt, cum ſeculo decimo quarto vix ac ne vix quidem, in Senenſis Reipublicae commentariis Datorum mentio habeatur. Quocirca cum de ejus origine atque principio diſſerere, deque ejus nobilitate quid certi ſtatuere haud poſſis, hac in re diutius non immorandum ſum arbitratus. Fuiſſe profectò non infimi Ordinis, cum ſatis ſuadent fundi, atque avita praedia, quae & in Senarum ſuburbio, (*a*) & Corſiniani imprimis, loco per eam tempeſtatem ignobili (*b*) Nicolao Dato Auguſtini,

 cujus

(*a*) Or. de laud. eloq. Or. l. 1.

(*b*) Hunc locum, quem poſtmodum Pientiam appellatum accepimus ſatis accuratè in Aeneae Sylvii hiſtoria deſcripſimus. Erant hic Datianae gentis praedia cum ruſtica tum urbana, cum de Sylvis caeduis, & paſcuis ad rem pecuariam], dequae cellis vinariis, olearіis, ac ſrumentariis non ſemel in priori epiſtolarum libro fiat mentio.

Digitized by Google

cujus aggredimur hiſtoriam, parenti majores ſui reliquerunt, tum cognationes, atque affinitates, quibus vetuſtiſſimae, & illuſtriores ex Senenſium Familiis, in iiſque Petronii, Patricii, Fundi aliique Datos contigerunt. Auguſtinus itaque Datus Orator, Philoſophus, omniq; veterum Doctrinâ praeſtantiſſimus non infimo ſanè genere natus eſt anno aerae vulgaris milleſimo quadringenteſimo viceſimo. Parentes habuit Nicolaum Virum literis & moribus ſpectatiſſimum, de cujus dignitate in noſtra Senenſi Bibliotheca jam fecimus mentionem, (*a*) & Angelam praeclariſſimam foeminam, ac ſatis, ut arbitror, (*b*) honeſtâ Familiâ natam. Acre ingenium, nobilis indoles, animuſque promptus Auguſtini praeſtantiam, & futuram in rebus agendis dexteritatem praenunciarunt. Quapropter magnam vel in tenella aetate eſt laudem, & gratiam conſequutus. Latinae primùm linguae animum adjecit, profecitque adeò,

(*a*) Latinas literas excoluit praeſtantiſſimus vir, proque temporis ingenio, ut infra ex ejus epiſtolae particula videbimus, non ineleganter ſcripſit. Prudentia juris in turba foreuſi atque defenſionum laboribus floruit. Senem admodum obiiſſe arbitramur. *Articularis* morbus, ac podagra doloribus maximis hominem perpetuò affecerunt. Ep. l.3.

(*b*) Arbitror inquam nam, plerumque, ut eſt in veteri proverbio, pares cum paribus. Coeterum de uxore cum meminit Nicolaus nullum nominis atque cognominis invenias veſtigium.

adeo, (*a*) ut, inter ſuae aetatis pueros, licèt non plus attigiſſet doctrinae, niſi quantùm puerilis illa iſtitutio pateretur, princeps ferè ab omnibus laudaretur. Ut ex ephoebis exceſſit Franciſco Philelpho (*b*) eloquentiâ, & Romani Sermonis elegantiâ clariſsimo, imbuendus traditur. Is per eam tempeſtatem, quum paululum oculos latuſque literae ſubſtuliſſent, Senas conceſſerat, maximis publicè conſtitutis proemiis, ut latinae orationis praecepta traderet, veterum Poetarum & Oratorum precioſiſsima quaeque explicaret, juventutemque Senénſium lectiſsimam amoenioribus, ac politioribus literis inſtitueret. Noſtrorum hominum auditores non paucos habuìt, atque ex ejus ludo, tamquam ex Equo Trojano plurimi ex Senenſibus prodierunt principes in re literaria viri; & inter eos quidem Franciſcus Pa-

 tritius

(*a*) In latinis literis ſi me negem aliquid profeciſſe certè mentiar, ab. ipſis penè cunabulis inter Gramaticos Rhetoreſque verſatus. Ep. ad Nicol. Tamchedinum.

(*b*) Franciſcus Philelphus Tolentinas praeceptor meus eloquentiſſimus - Strom. lib. 1. c. 13. docuiſſe Senis Philelphum biennio, eoque amplius nimirùm anno CIↃCCCCXXXVI. ac ſequenti ex ejus epiſtolis ſatis perſpicitur.

tritius, (*a*) Gregorius Lollius, (*b*) Aringherius (*c*) aliique, & Datus noſter, qui Doctoris omnium Grammaticorum, & Rhetorum ſui temporis ferè doctiſſimi inſtituta capeſſens, graeciſque apud eum literis ſedulo navans operam, (*d*) parentum ſtudio maximo atque opere, & Franciſci Patricii cohortationibus, (*e*) eximiam ſpem, optimummumque de ſe judicium adeo excoluit, ut in dies creſceret; & univerſis civibus, ipſique in primis Philelpho clariſſimum ſe Reipublicae Senenſis columen, & parentum ornamentum fore jam tum primùm polliceretur. Audiamus hac de re Nicolaum ipſum, Auguſtini Parentem optimum, qui eumdem, (quem dilexit ex omnibus filiis plurimùm) jam

(*a*) Franciſci Patricii hiſtoriam conſcripſimus eamdemque propediem edituri ſumus.

(*b*) de Gregorio Lollio prudentiâ juris conſultiſſimo non ſemel meminimus in Aeneae Sylvii hiſtoria. Ejus autem ſuperſunt non nulla quae ad prudentiam juris pertinent, de quibus in noſtra Senenſi Bibliotheca fecimus mentionem.

[*c*] Aringherii praeſtantiam, queque pro Senenſi republica geſſit infra cum de orationum libro quinto agemus habebis. Hieroſolymitani Ordinis miles fuit.

(*d*) Longè abeſt Philelphus noſter, qui ut erat utriuſque lingue peritiſſimus (Graecae, & latinae) ita nos quoque humaniſſimè erudiebat. Ep. ad Nicol. Tanched.

(*e*) Scis quàm me frequenter ad eloquentiam conatus ſis impellere. Nec es Franciſce neſcius, quae calcaria, quos ſaepe ſtimulos adhibueris Ep. ad Franc. Patric. l. 1.

jam aetate florentem à ruſticano ocio, cui libentiſſimè ſtudebat, revocare conabatur. „ (a) Tu unus inquit prae coeteris, teſtor „ Coeli Numen, eò ſemper mihi fuiſti ca- „ rior (duo de viginti enim ex una Uxore Angela tulerat liberos) quòd prae coeteris „ viſus es mihi optimarum artium cupidiſſi- „ mus, ac natus imprimis ad Literariam „ gloriam, ad eam te ſpontè inciratum in- „ flammavi ſaepius, ut coetera poſthaberes „ omnia, ſolam illam complecłereris, vehe- „ menter ſum cohortatus. Omnia tibi ſup- „ peditata ſunt .... omni curavi induſtria, „ ne aliorum bibliothecis egeas ... Nihil „ eſt, quod cupiam, atque optem vehemen- „ tius, quàm jam tandem eum te evadere, „ quem clara indoles & ingenij bonitas jam- „ pridem ſpopondit: quem inde à teneris „ uſque unguiculis fore conjecit civium „ multitudo: quem praeceptoris tui, viri „ omni laude praeſtantiſſimi Franciſci Philel- „ phi quoddam veluti praedixit oraculum. Auxit praeterea non parum civium opinionem, quod Adoleſcentulus, quæ eſſet ſecum com-

(a) Ep. Nicol. Dat. ad fil. l. 1.

commentus ſinè ſcripto verbis iiſdem redderet, quaeque legeret quàm facillimè memoria retineret: Tullianae eloquentiae non umbram & colorem, ſed pondus ipſum dignitatem atque praeſtantiam ſibi comparaſſet: eò uſque, ut vox ipſa, dixerim, Tulliana in eo reſonare videretur; itaut Senis biennio poſt Philelphus diſcedens, interrogatus quemnam ex iis, quos inſtituiſſet, putaret eximium, ac prae coeteris magis probaret, Balbum dixerit eſſe longè omnibus doctiorem. (*a*) Hoc etenim nomine eum appellare ſolebat Philelphus, quod à puero uſque ad annos maturioris aetatis balbutiverit, durèque ab eo potiſſimum literae duae pronunciarentur, videlicet prior ejus ipſius artis, cui dabat operam, (*b*) & altera cujus filius ſe haud meminiſſe teſtatur. Quo circa hinc contingebat, ut dum loquebatur pro deridiculo haberetur. Quid quod ob hujuſmodi linguae obligationem munus renuit, quandoque dicendi publicè., quam rem pueri, & adoleſcentes Senis non raro facere conſueverunt:

(*a*) Or. Nicol. Dat. de Laud. eloquent.

(*b*) Nimirum literam R. nam Rhetorum praeceptis tunc dabat operam.

verunt : „ Verum mox Auguſtinus eâ dili-
„ gentiâ laboravit inquit (Nicolaus filius,)
„ (*a*) & terſis lapillis , & levibus calculis
„ ſumptis e flumine, & ore detentis & ob-
„ volutis , ac violento & celeri montium
„ aſcenſu , interloquendum ac pronuncian-
„ dum aliquid ſublimi voce cum labore &
„ impetu , divinâ imprimis favente gratiâ , &
„ concedente Superum largitate, crebris ſup-
„ plicationibus ac votis , ut una omnium
„ voce , & communi doctiſſimi cujuſque ,
„ ac totius populi conſenſu, regnare in Cu-
„ ria, foro , & judicio cenſeretur , eoque
„ diſtinctius loqueretur , magnificentius into-
„ naret , ac lepidius pronunciaret nemo . „
Hujus planè divini beneficii , quo & Athe-
nienſium Oratorum Principem Demoſthenem
fuiſſe donatum prodidit Cicero , (*b*) non ſub
obſcurè meminit Philelphus , dum ad Augu-
ſtinum Datum ſcribens conqueritur , quod
nullas ad eum literas ſcribat , adiicitque *to-
tum factum* eſſe mutum ; quamquam quò factus
erat linguâ ſolutiore , eò loquaciorem eſſe
opor-

(*a*) In orat de laud. eloq.
(*b*) lib. p. de Orator.

oporteret. (*a*) Hoc unum tamen tradit idem Nicolaus filius ex ea calamitate Auguſtino ſuperfuiſſe incommodi, quod „ blaeſae homi„ nes linguae ac perplexè loquentes ferre„ non poterat; atque ipſorum conſpectum, „ tamquam ſcopulum, ac priſtinae ſuae miſe„ riae imaginem fugiebat „ Sed ad ejus literariam inſtitutionem feſtinat oratio. Hebraicis literis ſub Judaeis praeceptoribus operam dedit, atque in iis profecit adeo, ut precioſiſsima ejus opera adeuntibus planum ſit, Datum noſtrum, pro eorum temporum infelicitate non minus, ac Graecis, & Latinis fuiſſe peritiſsimum. Voluntate civium, omniumque benevolentia fruebatur, non ſolùm quòd in re literaria proficeret ſummopere, verum etiam quòd moribus integerrimis vitaeque innocentiâ praeſtaret. Quoniam eidem majores natu vereri, parentum dicto audiens eſſe, Deum colere, Sacrorum ac Religionis jura omnia obſervare, ſolitudinem nòn ocioſam perſequi, ſupra aetatem in rem domeſticam incumbere, amicos ad Chriſtianè vivendum cohortari, aliaque id genus, quae ad rectam

(*a*) Orat. de laud. eloquen. & ep. ad Philelph. l. 1.

ctam in juventute vivendi rationem pertinerent, ſolemnia admodum erant. Haec itaque lectiſsimi Juvenis ſtudia erant praecipua. Poſtquam autem ex Rhetorum elementis, & veluti juvenilis inſtitutionis tyrocinio exceſsit, ab elegantioribus atque amoenioribus literis, ad omnium virtutum principem ſapientiam tranſiit. Sub Petro Ruſsio (*a*) vitae ſanctitate, atque doctrinâ praeclariſsimo, quem Auguſtinenſes poſteriori ſeculo ex eorum Familia prodiiſſe ſunt gloriati (*b*) in patrio lycoeo logicae animum adjecit. In quo quidem, quantùm profecerit, optimo ſatis comprobant teſtimonio libri, qui extant de animi immortalitate; ex quibus, quoad eorum temporum ferebat conditio, corruptiſſimaque philoſophandi methodus patiebatur, abditiora Philoſophiae miſteria Auguſtinum fuiſſe rimatum accepimus. Ad juris prudentiam deinde toto pectore ſe tradidit; Sed cum Hebraicum, Graecumque ſermonem jampridem, ut ſupra meminimus, excoluiſſet, ad ſacras lite-

B ras

(*a*) Hujus praeſtantiam ac dignitatem habemus ſaepe numero in Dati operibus. Ejuſdem autem meminit etiam Nicolaus filius in Orat. de laud. eloquen.

(*b*) Herrera p.2. Pamphil. Guaz.

ras imprimis ſtudio maximo adjunxit animum; in quibus, qui fuerunt ejus labores & ſollicitudines, profecit adeo ut, vir alioquin modeſtiſſimis moribus, parumque admodum de ſe ſentiret, poſt plures annos fuerit teſtatus, negare non potuiſſe ſe in Sacrorum Bibliorum diuturna lectione fuiſſe abundè verſatum, ac maximè iis delectari. Audiamus ipſum hac de re pluribus loquentem cum Antonio Turamino, qui de nonnullis, quae in S. Hieronymi contra Jovinianum libris continentur, Datum conſuluerat (*a*) „ Statui, inquit, Ego mearum partium eſſe, ut te hac
„ cura, fortaſſe non moleſta, liberarem, &
„ id negotii ipſe ſuſciperem potius quàm ſi
„ negem diutiſſimè in ſacrarum literarum
„ lectione verſatum, certè mentiar. Nam
„ poſt prima illa elementa, ac veluti puerilis
„ inſtitutionis incunabula, coepi continuò
„ ſacras quaſque Bibliothecas perſcrutari, &
„ ſacrarum literarum, quotquot nactus eram
„ libros evolvere. Haec mihi fuit inde uſque
„ à puero perjucunda ſemper exercitatio, quae
„ quamquam neceſſitate ſaepe remiſſa eſt,
„ inter-

(*a*) De Connubiis Sanctorum.

„ intermiſſa nonnumquam relinqui à nobis „ tamen uſquequaque non potuit. „ Et optimo quidem jure; nam ex Sacrarum Literarum ſtudio, teſtatur in praefatione prioris libri de animi immortalitate, cum per aetatem iis applicuiſſe licuit, jam multò quàm conſueverat, coepit audentiùs de Philoſophorum concordia, ac placitis diſſerere, eorumque ſenſa plerumque ſacris iis literis reſpondere conjecit. Verùm in medio penè optimarum literarum curſu, dum ſinè ſtimulis iter longum ad laudem ſibi parat, longè latèque pervùlgata ejus probitatis ac doctrinae opinione Oddonis Antonii Guidonis Filii, qui nuper ab Eugenio Quarto Ducis titulo fuerat inſignitus, Literis menſe Januarii datis, Urbinum advocatur, (*a*) uti literariae ejuſdem inſtitutioni praeeſſet. Summam voluntatem teſtabatur princeps inclytus, magnam vim auri, & honeſtas, pro viri dignitate ac temporum ingenio, conditiones proponens. Nihil jucundiùs ac gratiùs parentibus accidere poterat., quàm, ut Princeps naturae & fortunae dotibus florens, ingenti animi magnitudi-

 ne,

(*a*) Ep. l. 1.

ne, omniumque rerum gloriâ coeteris praeſtans filium rogaret, & rei domeſticae ornamentum polliceretur. Hortantur itaque Filium, uti magno Principi obſequatur, tantam oblatam occaſionem ne dimittat: a philoſophicis & juriſprudentiae exercitationibus fieri intermiſſiones ſaepe, multoſque dari ad ſtudia reditus. Praeterea aliquot annos patriam relinquere, & bonas literas docere non parum in ſuum ipſius ingenium collatura: patria abeſſe quoſdam expoliſſe longève meliores reddidiſſe. Animo ergo rei magnitudinem complectens morem geſſit parentibus. Elegantiſsimas itaque literas reſcripſit (*a*) Auguſtinus, ſummae felicitatis fortunaeque loco ſibi eſſe, quòd apud clariſsimum Principem gratiâ valere ſe non mediocri intelligeret, animum ac fortunas ſuas omnes ei ſe tradere, ac devovere: Relictis omnibus quamprimum venturum, vel ipſis parentibus cohortantibus: Libros interea pararet, ſe quoque quos illuc deferendos putaret, paraſſe, quamquam Bibliothecam Urbini non deeſſe arbitrabatur. Hanc autem, ſi lectiſsima fuerit,

(*a*) Ep. ad. Oddon. Anton. Urb. lib. I.

rit, ei cum in dicendi facultate, tum etiam in coeteris diſciplinis non parum profuturam. (*a*) Anno itaque milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſecundum dum ageret & viceſimum, medio vere in viam ſe dedit Auguſtinus, Urbinum verſus, Senenſium Magiſtratus literas ad Principem ferens. Habuit in itinere comitem ac ſocium Bartholomeum quemdam, cujus potiſsimum diligentiae optimi Parentes dulciſsimum filium commendarant. Toto penè itinere ipſius Principis auctoritate perhumaniter eſt exceptus, (*b*) Urbini verò plurimùm. Submoleſtè tamen & aegrè admodum in ea civitate tum primùm fuit, cum quòd amicorum, ſodalium propinquorum, fratrum, ac parentum turbaret abſentia, tum quòd abſentem Urbino Principem intellexit, qui Ferrariam per eos dies ſponſam viſurus contenderat. Sed is domum reverſus, peractiſque pro ſumma dignitate nuptiis, vix credibile eſt quanta humanitate Auguſtinum complecti coeperit, quan-

(*a*) Ep. l. 1.

(*a*) Tertio kal. Majas dulciſſime pater Urbinum ſalvi incolumeſque pervenimus. Nec dici queat, quanto favore non modo Urbini ſed vel toto pene itinere excepti ſumus. Habeo, atque ago Deo gratias, qui tot me tantiſque ſit dignatus muneribus,

quantaque gratia hic apud Principem floreret. Acri enim ingenio cum eſſet Princeps ille generoſus, & bonarum artium cupidus, convictu crebraque Dati noſtri conſuetudine ſummopere delectabatur. Eum mane eum veſperi liberaliter accerſebat, ex eo ſemper quidpiam boni audire ac noſſe cupiens. Urbini interea dum degeret inter aſſentatores verſari, aulicorum levitatem aliquandiu pati, eorumque ſtultitiam non parum ſubſtinere eſt coactus. Sed ejus ingenii erat optimus adoleſcens, ut non rarò eorum peſsimis conſiliis intercedere, quaeque futilia atque inſana commentabantur refellere ſtuderet. Fuit in horum perditiſsimorum hominum numero ſenex quidam Urbinas delirus, qui cum altus educatuſque eſſet apud Nurſinos, quos literis ac prudentia juris ornatos magiſtratibus, per ea tempora, amoviſſe accepimus, à ſtudiis literarum omnino abhorrebat. Hujus ergo deliramenta cum in magna virorum corona audiſſet, & in iis Principem dedecere in rerum ſtudio verſari, optimas Literas philoſophis ac juris interpretibus, tamquam ocioſis hominibus, eſſe relinquendas. Contineri quidem

dem tum primùm potuit, quae erat ejus modeſtia, quin interloquendum iratus atque aegrè ferens, à contumelioſis & inurbanis verbis abſtineret. Sed ne literaria Principis inſtitutio quid detrimenti hinc pateretur, elegantiſſimam orationem per noctem ad Antonium quemdam Comitem conſcripſit, quâ audaciſsimi nebulonis impudentiam, atque ſtultitiam refellere, ac patefacere eſt conatus. Ab aſſentatorum itaque levitate, quae voluptate quadam titillare videbatur, Principem revocare imprimis Datus curabat. Sed brevi, dum apud illum gratiâ plurimùm valet, poſt ſeſquiannum nimirum, quae ſunt hominum vices, adverſam fortunam experiri coactus eſt Auguſtinus. Nam Oddo Antonius, in quo optimo jure ſpem ſuam collocarat, dum viridem ac florentiſſimam degeret vitam, quòd nobilibus matronis, elegantiſſimiſque mulieribus vim non ſemel intuliſſet, (a) nefariè ſaeviente, ac tumultuante populo, vulneribus confoſſus, miſerum in modum trucida-

(a) Aeneas Sylv. de Europ. c. 61. In Urbino Dux gentis Oddo matre Columnenſi nobiliſſima natus, cum per libidinem in Matronas nobiles debaccaretur, nec modum licentiae faceret, populari tumultu interfectus eſt. Idem habes non ſemel in Epiſtolis Cardinalis Papienſis.

datur. (*a*) In eo inſanientis vulgi furore, cum mortui Principis cariſſimi quique quaererentur ad caedem, in iiſque necato Manfredo *Prothonotario* Carpenſi, Principis adoleſcentiae corruptore & nequitiae incenſore, quique in nuptis & Virginibus nullum licentiae modum habuerat, (*a*) Thoma quoque Ariminenſi (*b*) earumdem rerum adjutore, peſſimique ingenii viro, & ipſe Datus vitae diſcrimen ſubiit. Nam dum per mille pericula, & per denſum tumultuantium hominum agmen domum ſe recipit, impiorum furente turba inde expellitur, bonis ſpoliatur omnibus. At ipſe in proximum Templum vix profugit, aegrèque uno ſervato annulo, qui ex omnibus rebus ſuperfuit ſolus, Divino planè numine factum eſt, ut incolumis ſervaretur. Licèt enim domo extruſus in Templo deliteſceret, non deerant tamen, qui illuc ingreſſi torvis, oculis caedemque ſpirantibus, malum minarentur. Sed ut ipſe ad Patrem

(*a*) Incenſor nequitiae, & adoleſcentiae ſuae corruptor Prothonotarius Carpenſis, nobili genere ortus, ſed ingenio peſſimo, qui nuptis, ac virginibus quàm plurimis vim intulerat, qui per omnia ſcelera ad ſummam vitiorum pervenerat, eadem nocte cum diſcipulo ſuo necatus &c. De Eur. c. 61.

(*b*) Gobel. Comment. L. 8.

trem ſcribit, una erat ſpes innocentiae, nulliuſque delicti conſcius animus. Quapropter bonorum praeſidio defenditur. Nam, cum, juxta Tullianum illud, afflicta ac proſtrata virtus ſit maximè luctuoſa, (*a*) fuerunt, qui triſtem ejus vicem dolerent, eique in maximo vitae diſcrimine praeſentem opem ferrent. Imprimis verò Princeps Fridericus mortui Frater, turbis jam quieſcentibus, ſedatoque tumultu & conciliatâ concordiâ, favorem ipſi ſuum pollicitus, in ſpem bonam revocavit. Acceſſit itaque, amplectitur, bono animo eſſe jubet, tabellarium ei, quem ad parentes mittat, ſuis ſumptibus praebet, ſuam incolumitatem cognatis ſignificet, oretque Patrem ſuo nomine, uti, quibus conditionibus apud Fratrem fuerat, apud ſe quoque filium eſſe ſineret. Scripſit & ipſe Princeps hac de re ad Senenſes Magiſtratus, ſpemque optimam eſt pollicitus. Et profectò paulo poſt ita benignum facilem, ac ſtudioſum in Auguſtinum ſe praebuit novus Princeps, ut omnino iniqujus ejus caſum tuliſſe, quàm

C ſui

(*a*) Cic. de Orat. l. 2.

ſui ipſius Fratris interitum videretur. (*a*) Utque firmius hominem apud ſe retineret, obtulit ampliſſima praemia, & amiſſorum ad unum reparationem. Inter haec ſtatuerat Auguſtinus Domum reverti, Patriam & dulce ſolum viſere, Parentes, atque Amicos dulciſſimos amplecti. (*b*) Qua die datae ſunt literae ad Parentes, uti eorum in hanc rem voluntatem obtineret, Eugubium profectus eſt Fridericus. Quòd autem ad iter neceſſaria Auguſtinus adornaret, eum hortatur Urbinatum Senatus, ne quò abiret abſente Principe: rogat ejus reditum praeſtoletur, ejus voluntati Principem minimè adverſaturum, ac fauſta interim omnia ſperaret. Eugubio rediit Princeps, humaniſſimè hominem complectitur: orat, obſecrat, obteſtatur iter differat: ſeſe operam daturum, ut optima apud ſe eſſet, ac perpetua ejus vitae conditio. Plurimùm etenim & ipſe Auguſtino delectabatur, ejus conſuetudine utebatur plurimùm, & quemadmodum legimus in Epiſtolarum libro

(*a*) Non aegrè profectò Fratris interitum tuliſſe arbitror Fridericum, cum non defuerint Synceroni, & imprimis, qui Gobelini nomine laudatur, qui Oddonem Antonium, Fratris occultis ſuaſionibus, a furenti populo necatum memoriae tradiderint.

(*b*) Ep. lib. 1.

bro ſummam ei benevolentiam , utque ejus utar verbis . „ Si dicere par eſt & obſervantiam „ oſtendebat . Inclytus profectò Princeps , quem legimus literarum ſtudium ab initio aetatis complexum , nequaquam in maxima Principatus cura , inque turbulentiſſima atque difficillima illa tempeſtate , id neglexiſſe , idemque non intermiſiſſe , ſed ne remiſiſſe quidem . Cum , quemadmodum de fratre ſupra tradidimus , & ipſe ab Auguſtino quotidie aliquid literarum audire ſoleret . (*a*) Felicia ſanè tempora , quibus ſuus erat virtuti , boniſque diſciplinis honos . A propoſito tamen hic non diſceſſit ; nam poſtquam in ſolemni tanti Principis inauguratione ad Ordinem , & Populum Urbinatum elegantiſsimam orationem habuit , de qua , cum ſeſe offeret occaſio , non nihil agemus , (*b*) ipſumque Principem , ut ad juſtitiam , ſapientiam , aliaſque virtutes toto pectore incumberet , eſt cohortatus , in Patriam , a qua ferme biennio ante diſceſſerat , eſt reverſus ; ubi , mutato jam cum fortuna animo , nihil deinceps de reditu

(*a*) Or. invect. in Urbinat.
(*b*) Lib.4. Or.

ad Principem actum eſt. Hoc autem contigiſſe arbitramur, quòd cum nulla hactenus facta eſſet bonorum reſtitutio, fidem coeteris quoque pollicitationibus ille fortè non habuit; ſeu quod, ne iterum vitae diſcrimen ſubiret, pertimeſceret, cum Urbini adhuc omnia mortem minarentur, & ſanguinem appetere viderentur vulgi animi; quo fiebat, ut, recentis caedis exemplo, territus Princeps ipſe Fridericus, in judiciis exercendis, ac ſceleribus vindicandis remiſſior eſſet. Sed haec, qua ratione contingerent, perſequi non operae eſt, quòd ſatis ſuperque oneris ſuſtineam Scriptorum Senenſium, eorumque operum hiſtoriam conſcribens. Dum haec gererentur, Siculi Auguſtinum propter Principis necem Urbino diſceſſiſſe rati, hominem doctiſſimum ad juventutem rectè informandam invitant: Septingentos, quos vocant, aureos quotannis pollicentur; adiiciunt inſuper victum, & habitationem, & ea quae neceſſaria forent ad ipſius Familiam. Mercedem profectò per ea tempora ampliſſimam. Refert Gerius conceſſiſſe in Siciliam Auguſtinum, ibique aliquandiu publicè docuiſſe. Verùm Nicolaus Filius tradit Parentem ſuum Patria dein-

deinceps non ſeceſſiſſe, niſi a Nicolao Quinto Pontifice Maximo, Clarorum Virorum aeſtimatore aequiſſimo Romam accitum, uti Pontificiarum Epiſtolarum eſſet Magiſter. Conceſſit Romam, & ſummis licèt quidem honoribus hominem affecerit Pontifex, nihilominus, ſeu paternae domus deſiderio teneretur, ſeu literarium ocium, Aulae rumores, & incommoda, quemadmodum paſſus erat, non ſinerent, id muneris detrectavit hincque, facultate diſcedendi impetratâ, in Patriam rediit. Hìc autem Gymnaſium aliquando auctoritate publicâ aperuit, quod rei domeſticae augendae non parum adjumento fuiſſe intelleximus. Coepit itaque primùm Rhetorum praecepta tradere, veterum Oratorum & Poetarum haereditatem praecioſiſſimam explicare, in eorum operibus auditores exercere, optima quaeque auditoribus proponere, ipſorum animum ad hujus lectiſſimae ſupellectilis praeſtantiam, atque elegantiam accomodare, doctiſſimis Commentariis obſcuriora loca explanare, verba denique ſingulorum, ſenſa & apices interpretari. Cum primùm aliquod opus legeret, ad frequentiſſimum coetum

tum

tum praefationem elegantiſſimam, quam dicunt proluſionem, habere, vel per Nicolaum filium recitare, conſuevit; in qua de auctore, operis occaſione & propoſito verba faciens, ſummam etiam totius rei repetitionem faciebat, hiſtoriamque eorum pertexebat, quae ad rectam claramque explanationem pertinerent. Ex his ſuperſunt nonnullae narrationes profectò abſolutiſſimae in quaſdam Terentii fabulas, in Tullianos libros de Officiis, de Natura Deorum, in orationes quaſdam, & Tuſculanas quaeſtiones; in quibus quidem extat, & commentarium ejus doctiſſimum. Superſunt praeterea praefationes in Hieronymianos contra Jovinianum libros, & in Aeneidos, & Georgicon Maronis, in Valerii Maximi quoque, & aliorum veterum foetus, & monumenta. Sed omnium primùm cum Veterum eruditum quodpiam opus explanandum ſuſciperet, ne quid inauſpicato aggrederetur, non ineleganti oratiunculâ Divinam, ac Superûm ſibi opem conciliabat, ut rem ad Dei gloriam, atque Auditorum profectum pro dignitate gereret. Cujus quidem rei non rarò teſtimonia in ejus operibus invenias. Sed ad

hoc

hoc quod attinet, abs re fore non arbitror, ſi ejus judicium, atque ingenium, &, quod omnium maximè in negocium literarium confert, in morum ſanctitate diligentia, lectori benevolo, locupletiſſimis, quae in ejus operibus extant, teſtimoniis patefiat. De Chriſtianis itaque excolendis moribus primùm omnium, cum, ſuis ipſis vivendi, orandi, atque ſtudendi rationibus, tum praeceptis inſtitutiſque optimis, juventutem lectiſſimam edocebat. Nam moribus quoque regendis diligens & ſeverus fuit „ Nulla poteſt eſſe eloquentia, inquit, „ (*a*) quae a virtute diſcedit. Bene dicendi „ copia praeclara res eſt, at bene vivendi ra„ tio, tum praeclariſſima, tum etiam neceſ„ ſaria „ Et iterum „ (*b*) Virtutem, & ſa„ pientiam amplectamur, quae ſola Beatos „ facit, & quod nobis datur aevi contera„ mus omne in magnis, ac praeclaris exer„ citationibus. „ Quod inquam datur aevi; nam auditores, & filium imprimis, monere ſolebat quotidie viderent non nihil, audirent, differerent, ne vel dies laberetur, quin novi ali-

(*a*) Lib. de Ord. diſcendi.
(*b*) Lib. I. Epiſt.

aliquid diſcere poſſent „ Ingenium , inquit ; „ (*a*) natura tribuit , ſed & noſtra quoque „ juvat induſtria ; Ratio eſt ab artis praece„ ptis , ſtudium totum a noſtra diligentia „ proficiſcitur . Imitatio inſtar ſpeculi eſt , „ quo intuentes, quae noſtra ſunt , faciliùs „ ſuſcipimus & regimus . Exercitatio autem „ atque uſus , & magiſtri vocem , & vim „ cujuſlibet praecepti ſuperat . „ Ingenii autem exercitationem parum prodeſſe arbitrabatur, niſi, ut ipſe ait, cuſtos diligens adhiberetur memoria, rerum partarum theſaurus; quae iccirco ſtudiosè , & aſſiduè exercenda eſt „ Ita enim vigebit, inquit, in dies magis „ nec auferri, nec minui per aetatem poterit. „ Minuitur namque niſi ea exerceas „ (*b*) Eo profectò erat ingenio , eâque ratione in literarium ocium atque exercitationem ferebatur, ut, vel cum ſolus eſſet, atque ocioſus, numquam, modò lectiſſimi libri ſupereſſent, nec minus ocioſus, nec minus ſolus eſſe arbitraretur . „ Careo inquit amicorum „ convictu , ſed veteres amici non deſunt libri,

(*a*) Lib. de Ord. diſc.
(*b*) Lib. de Ord. diſc.

„ libri, ſcribo ſemper aliquid, meditor men-
„ te, & cogitatione complector. „ Quibus
quidem rebus, ut auditorum animos facili
negocio accomodaret, partitionem horarum,
cum pro Chriſtianae vitae ratione, tum pro
literaria exercitatione, ſuadebat. Ejus rei,
etſi plura ſuperſint teſtimonia, illud certè non
eſt praetereundum, quo, in priori Epiſtolarum libro, Thomam Rimbottum, de pluribus,
ad hanc rem pertinentibus, monuiſſe accepimus. „ (*a*) Tempus, inquit, ante omnia ſtatuo
„ diſtribuendum eſſe, & ordinem vehemen-
„ ter probo ...... diluculo eſt lectionibus
„ danda opera, ac ſi quid proximo die agen-
„ dum ſit, accuratiùs mente, atque animo
„ volutandum .... Mane cum primùm Do-
„ mo fueris egreſſus, quaeſo Templum pete,
„ Deum venerare, Regnum Dei quaere, ſa-
„ luta Penates, poſtmodum ſacras pervolve,
„ lectiones, & Hieronymi imprimis ſcripta
„ libenter amplectere; ubi, & orationis orna-
„ tum, & rectam vitae inſtitutionem, abundè
„ poteris adipiſci. Meridie in tuis te laribus
„ oblecta, pervagari noli. Quid eſt enim aliud

D „ fru-

(*a*) Ep. ad Th. Rimbottum l. 1. Epiſt.

Digitized by Google

„ fruſtra circumcurſare , atque errantem
„ Plateas , Angiporta , ac Forum luſtrare ,
„ quàm puerorum more , ludere , ſeque ipſum
„ perdere . Cenſeo cum cibo , & quopiam
„ ex levioribus , ac jocoſis libris , quos no-
„ ſti legendum , ut corpus ſimul paſcatur ,
„ & animus . Poſt modicam requietem , quod
„ aut legeris , aut audieris mente complecte-
„ re , ut . . . . ea ſint , poſtmodum deambulan-
„ ti , ſalutare viaticum . Quod ſi fortè exire
„ libebit anguſta , & , quoad potes , religioſa
„ perquire loca , Bibliothecas adi , & quos
„ optaveris meliores percurre codices , in-
„ de excerpe ſemper praeclarum aliquid ,
„ atque frugiferum . Haec tibi recta fuerit
„ inambulandi ratio . Domi te opprimat oc-
„ ciduum tempus , & veſpera foris num-
„ quam , nam abnoctare imprimis pernicio-
„ ſum ſimul putatur , ac turpe . Domum
„ reverſus fac , ut ad futuras lectiones ani-
„ mum applices , & nulla pars temporis ef-
„ fluat tibi prorſus inanis . Ex Sacris Codi-
„ cibus excerpta ne deſere , & antequam cu-
„ bitum diſcedas Pythagoreorum more ,
„ quod egeris , dixeriſve tecum ipſe repete ,
„ etſi

„ etſi tempus ſuppetat , aliquod praeclarius
„ commenda memoriae . „ Suadebat autem
imprimis optimos juvenes ut (*a*) cogitarent ,
ſcriberent , interrogarent , dubitarent , verſarentur cum doctis viris , ab eorum nunquam
diſcederent latere , undè poſſent ſemper abire doctiores . Cum iis viverent , inambularent ; ſicque futuros ſermones de magnis , &
gravibus rebus , & aeſtimaturos aliquando libros tamquam veros amicos : Ibi latere dulcia alimenta , ſuaviſſimos fructus , jucundiſſimum ſaporem , ac melle dulciorem . Ex iis
autem ſtatuebat omnium maximè Terentii
primùm , ac poſtmodum Ciceronis diuturnam , non ſinè magno foenore , faciendam eſſe
lectionem „ Nam cum eloquentia , inquit ,
„ (*b*) conſtet verborum flore , atque ſenten-
„ tiarum gravitate , verba curandum eſt , ut
„ latina ſint , & a communi uſu haud longè
„ recedentia , qualia perſonant imprimis Mar-
„ ci Tullii Ciceronis libri , & P. Terentii
„ Fabulae , quem latini ſermonis , & verbo-
„ rum proprietatis ſervantiſſimum eſſe intel-

 „ ligi-

[*a*] Ep. ad Andream Capaccium .
(*b*) Lib. de Ord. diſcendi

„ ligimus „ Iccirco licèt a fabularum vanitate perpetuò fuerit alienus, nihilominus paſſus eſt auditores ſuos, & Nicolaum imprimis filium, eaſdem legere, & percurrere; ea videlicet ratione, ut „ linguam inſtruerent, re-
„ ctam vivendi rationem non ſubverterent „ Terentium profectò magni adeo fecit Datus, ut ex ejus ſcriptis plurima deprompſerit exempla, quaeque lectiſſima ſunt, in ſuum, De ordine diſcendi, opus intulerit. Nec id temere ſe feciſſe gloriatur, quòd, quemadmodum ſupra, ex alio Auguſtini loco, meminimus, hic unus auctor, (*a*) prae coeteris, proprietatem verborum ſervat, & latinam redolet elegantiam „ Teſtis ſit, inquit, Marcus Tullius, totus
„ ubique Terentianus, & iccirco eloquen-
„ tium omnium facile Princeps „ Ex magna autem librorum copia, quae a Cicerone edita eſt; potiſſimum, inquit, De officiis, & Tu-
„ ſculanarum diſputationum opus, numquam
„ ponatur e manibus, undè tibi (Filium Nicolaum alloquitur) & verborum ſplen-
„ dor, & exemplorum copia, & praecipua
„ ſuppeditabitur ſententiarum gravitas. Pa-
„ radoxa

(*a*) Lib. de Ord. diſc.

„ radoxa deinde ſequantur ; quae interpre-
„ tantur, praeter opinionem, & admirabiles
„ ſententiae, ex Stoicorum fontibus hauſtae,
„ tum Dialogi De amicitia, qui Laelius in-
„ ſcribitur, De ſenectute, qui Cato Major,
„ & Somnium Scipionis, qui ſextus eſt de Repu-
„ blica liber ... His, inquit filium alloquens,
„ tu frequenter intende, & cum ſemel at-
„ que iterum legeris cura, ut penitus animo
„ inhaereſcant, & memoria, quodam quaſi
„ Theſauro, recondantur „ Nec ſolis Terentio, ac Ciceroni ſtudendum eſſe arbitrabatur, ſed & Criſpi Salluſtii, & Titi Livii hiſtoriis navandam eſſe operam volebat; quòd ad Oratoriam artem plurimùm pertinere, atque ex earum potiſſimum lectione ali & pingueſcere orationem contendebat. Nam tametſi ſermo conſtet ratione vetuſtate, auctoritate, conſuetudine, unam tamen auctoritatem, contendebat tribus reliquis antecellere, eamdemque, ut teſtis eſt Quintilianus, ab Oratoribus maximè, & hiſtoricis peti ſolere. Quod ſi auditores cuperent rectam verborum ſignificationem, atque originem inveſti-

garent

garent, Principes ſtatuebat ante alios (a) Marcum Varronem, Agellium, Nonium Marcellum, Fabium Quintilianum, Pompejum Sextum, Aſconium Pedianum, atque Iſidorum, Grammaticoſque celebriores, Donatum, Servium, Priſcianum. At non ea ratione horum placita ſectanda ſuadebat, ut ab iis nuſquam diſcedendum putaret; Grammaticorum etenim omnium incerta eſſe omnia arbitrabatur. Neque enim „ inquit, (b) ullam prorſus
„ legum ſuarum ſtabilem legem ſervant, opi-
„ nioſiſſimi homines ſunt, & nihil unquam
„ certi praecipiunt. Bene Flaccus ait, Gram-
„ matici certant, & adhuc ſub judice lis
„ eſt; Neque eſt vel apud Graecos quiſquam,
„ vel apud noſtros, quem ſatis firmiter pro-
„ bare auſim. „ Irridebat autem Datus, inter alia, eorum pueriles controverſias, atque anilia deliramenta; & tunc quidem potiſſimum, cum ſtudiosè exquirunt unde verba ducantur, cumque in eis derivandis, repentè, ac forſitan inconſultò, ad antiphraſim confugiunt „ Nos, inquit, in ducendis nominibus an-
„ tiphra-

[a] Lib. de Ord. diſcend.
(b) Ibid.

„ tiphraſim aſpernamur „ Coeterùm , quod attinet ad linguae latinae elegantiam, ac ſordes, quaeque non paucae jamdudum, in latinum ſcribendi genus, irrepſerant, pro ejus aetatis ingenio, quo tempore latinae literae magis magiſque latus attollebant, ejus opera, vel leviter percurrenti, ſatis exploratum futurum arbitror, neminem in medio ſeculo quintodecimo, fuiſſe, qui homini clariſſimo anteiverit. Non eſt profectò hac de re hìc diutius immorandum, cum ſaepenumero de latinis ejus ſcriptionibus infra agere debeamus. At illud certè non eſt praetereundum, quod teſtatur ipſe de conſcribendis Epiſtolis, ſuper nova, quam falsò dicit, (*a*) tunc exorta conſuetudine, uſuque abſtractorum, ut ajunt, nominum, & numero multitudinis, dum ſingularem, quam dicimus in epiſtolis perſonam, alloquimur. Nam, cum Laurentium Bonoinſignem, per epiſtolam de Magiſtratuum Epiſtolis conſcribendis edoceret (*b*) teſtatur aegrè admodum, hac in re conſuetudini potius, quàm rationi paruiſſe „

(*a*) Falsò inquam nam inde a quarto & quinto ſeculo in Sanctorum Patrum operibus, ac Magiſtratuum Epiſtolis, Sanctitatis, Serenitatis, Majeſtatis Circumſpectionis aliorumque hujuſmodi nominum mentioné ſaepe invenies.

(*b*) Ep. ad Laur. Boninſignem lib. 3. initio.

ruiſſe „ Multa etenim , inquit , commutant „ tempora , multa uſurpant , corrumpunt „ nonnulla , ac ſaepe pervertunt . Inſervien- „ dum videtur temporibus , & ipſi nos tem- „ poribus accomodemus , quod ne ipſi qui- „ dem ſapientes diffitentur . Ipſe quidem „ mihi ſaepe vim attuli , frequenter animi „ conſilium extorſit depravata conſuetudo „ Sed ut , ad eumdem , auditores edocentem , re- deamus , non ea ratione ad latinum , ex vete- rum operibus , excolendum ſermonem eos hor- tabatur , ut Graecarum & Hebraicarum litera- rum nullam habuerit rationem , quoniam u- trumque ſermonem utiliſſimum eſſe , & in elo- quentiam , atque oratoriam artem , maximè conferre judicabat . (*a*) „ A Graecis etenim , „ inquit , omnis diſcendi ars , & humanae ſa- „ pientiae diſciplina profecta eſt , & plerique „ literarum ſtudioſiſſimi , e Graecorum fonti- „ bus plurima haurire conſueſcunt .... Ab „ Hebraeorum autem uberrimo flumine , om- „ nis Divinae , ac miſticae diſciplinae jus , „ ratioque defluxit . Nec verò iccirco Grae- „ cas literas amplexamur , ut dediſcamus la- tinas „

(*a*) Ep. ad Anton.

„ tinas . „ Cum veterum opera explanaret, poſt conſuetam, quam ſupra diximus, diligentem expoſitionem, ſublatis difficultatum ſcrupulis, ad inveſtigandam praeclari operis cognitionem, ex ipſius Auctoris mente aditum faciebat. „ Commentatoris, inquit, munus eſt,
„ .... non quid ipſe velit, ſed quid ſentiat
„ auctor, quem interpretatur, exponere. Id
„ ipſum & nos faciemus. „ (*a*) Verùm, ſi quid adversùs Catholicae Fidei veritatem, occurreret, pro ſuo arbitrio improbabat omnino. Monitum tamen velim lectorem, Datum noſtrum, veteribus auctoribus interpretandis, latinaeque loqutioni expoliendae non eam navaſſe operam, ut, de inſtaurandis praeſtantiſſimarum diſciplinarum exercitationibus, jamdiu intermiſſis, nihil amplius planè cogitaverit. Ab eo etenim tempore, quo annum agebat octavum, & viceſimum, ſanctiſſimis cohortationibus Laurentii Pariſienſis (*b*) amoeniorum literarum, dumtaxat in auditorum gratiam, ratione habitâ, diſciplinarum exercitationem, quaſi poſtliminio repetens, ad Philoſophiae,

E

(*a*) Praefat. in M. Tullii Tuſculanas quaeſtiones.
(*b*) Lib. I. Ep.

ſophiae, juriſprudentiae, ac Divinarum rerum contemplationem, toto pectore incumbere inſtituit. Ad philoſophiam, quod attinet, nemo illo ſubtilius, nemo acutius. Hujus diſciplinae ambages, & arcana miſteria, prout ferebat eorum temporum, ſcholarumque peſſima conditio, penetravit. Et ſanè melius nobiſcum, & cum ipſa philoſophia actum eſſet, ſi, vel ſerius natus eſſet Auguſtinus, vel maturius in Philoſophantium Rempublicam invecta eſſent ea, quae noviſſimis hiſce temporibus, de naturae arcanis, rerumque cauſis, detexerunt homines ſapientiſſimi. Juriſprudentiâ, & morum ſcientiâ, quae veriſſima eſt philoſophia, quàm diligentiſſimè eſt eruditus. Mox ex umbratili, ac Scholaſtica exercitatione, in medium agmen & clamorem erumpens, in forenſi turba, in cauſis, & judiciis aliquando eſt verſatus. Amicis etenim, aliiſque civibus, meliorem cauſam habentibus, adeſſe conſuevit, juſque non ſemel prò munere Magiſtratus reddidit. Quotidie ferè ad frequentem Senatum, & non raro ad Populum verba fecit, nunc de Republica, deque ejus recta adminiſtratione, & iis, quae, neceſſariò

magi-

Digitized by Google

magiſtratibus, coeteriſque, qui praeſunt, gerenda credimus, modò de laudibus conjugii, de foedere icto, de bello gerendo, aliiſque rebus, quas hic non vacat recenſere. Nec parvos exanthlavit labores, cum de re Theologica, Sacriſque litteris, quae in Bibliis continentur agere oportuit. Hujus ille maximo ſtudio, atque amore ductus, jampridem non erudiendi, ſed planè ediſcendi gratiâ, ex Sacris libris, ut ſupra meminimus, quempiam legendum ſuſceperat; in eo ipſo ſtudio ab initio verſatus aetatis. Sed, quae fuit in eo animi modeſtia, partim ingenii fragilitate, partim rei magnitudine, fuiſſe deterritum teſtatur. (a) Verùm, cum ad annos maturioris aetatis pervenit, rem, quaſi poſtliminio, ut diximus, repetiit, ac ad Sacrorum jura, ſtudium, atque oeconomiam eſt iterum aggreſſus. Praeclariſſima ſanè ejus rei teſtimonia ſunt, tot, de rebus divinis orationes, tot reſponſiones iis, qui, de alicujus prophetici vaticinii, & Agiographorum germano ſenſu, vel praeſentem conſuluerunt, vel conſultum ad eum miſerunt per literas. Quidquod de Sancta-

(a) Orat. lib. 1. cum Hieronymum in Jovinianum explanare coepiſſet.

rum Scripturarum concordia, variaque lectione, Hebraicorum, Graecorumque vocabulorum virtute, non ſemel verba fecit. Et, quod in homine, Secularibus, ut ajunt, curis occupatiſſimo, non ita facilè invenias, publicâ. auctoritate, Eccleſiaſtis officium exercuit; ſacraſque literas, in publico Senenſi Gymnaſio eſt interpretatus. Cujus ampliſſimi honoris etiam nunc extant literae, quae dicuntur Patentes, quibus Auguſtino, Franciſcus Piccolomineus Cardinalis Senenſis poteſtatem facit, „ non obſtante Conjugii impedimento, ac Se- „ nenſis Academiae Sanctionibus „ Divinarum Scripturarum libros publicè legendi, atque interpretandi. Quin & permittitur ad auditores, docendi gratiâ, verba facere non ſolùm in Gymnaſio, ſed etiam in Sacris Aedibus, aliiſque publicis locis; Quarum quidem literarum dictaeque facultatis placuit, hìc verba recenſere, quae rei cauſam, & occaſionem declarant, atque Auguſtini noſtri dignitatem proferunt „ Quòd nefas eſſet, inquit, ocioſam „ eſſe virtutem, & ſub modio ardere accen- „ ſam lucernam non decere: doctrinam „ ejus, admirabileque ingenium non modò „ ſecu-

„ ſecularibus ſtudiis, ſed etiam Sacrarum „ literarum interpretationi aſſiduè incubuiſ„ ſe.... diurnos labores ejus, continuaſque „ vigilias, coeteris profectò futura adjumen„ to. „ Quod autem tantum hinc tulerit honorem Datus, tantaque jucunditate, in Sacris Scripturis legendis evolvendis, explicandiſque perſunderetur, nil mirum ſi Diſcipulos cariores, amicos, & filium imprimis hortabatur, uti toto pectore in eorum incumberent ſtudium. Plura hac ſuper re ſuperſunt exempla, unum tamen attuliſſe non piguit, quo de iis filium dulciſſimum vehementer monuit. „ Magnopere, inquit, (a) te hortor „ fili mi; ut Sacrarum literarum libros, & „ Divina Scripta ſtudiosè legas, unde & vi„ tae inſtitutionem rectiſſimam comparabis, „ & invenies, ubi ſolidam percipies volupta„ tem. Sectare Pàtris veſtigia, quem ſcis „ multò magis Divinis literis, quàm Cice„ ronianis voluminibus delectari (haec accipiant noſtrorum temporum eruditi.) Quae „ res una, & frugem tibi uberiorem, & ſum„ mam jucunditatem pariet.... nec ignoras „ ſa-

[a] Lib. de Ord. diſc.

,, ſacri eloquii, & Divini canonis ordinem,
,, & in vetere Teſtamento Legem, Prophetas,
,, Agiographos contineri. In novo autem
,, Evangelia, Pauli Canonicas Epiſtolas,
,, Apoſtolorum geſta, & Joannis Apocaly-
,, pſim. ,, Hanc autem Sacrorum Bibliorum enumerandi rationem, non ita accipias, quaſi plura, cum veteris Teſtamenti, tum novi, & Jacobi imprimis, Petri, Judae, atque Joannis Apoſtolorum epiſtolas, in angulum rejicendas eſſe judicaret. Cum, in iis, ut infra videbimus, quae ad rem Chriſtianam pertinerent, uni Eccleſiae judicio, pro vera ratione, aſſentiretur. At in iis libris, aliiſque operibus, quae, ſeu Graeca, ſeu Hebraica lingua, ad nos uſque venerunt, dolebat maximè, (a) quod multa ſaepe, vitio interpretum, deprompta eſſent, inſtar ſuavis vini, quod de praelo puriſſimum ſumptum, non raròcum in alterum, atque alterum dolium transfertur, coaceſcit: multa, librariorum incuriâ, & nonnulla interpretum culpâ, inducta eſſe ſphalmata: bonorum ſtudiorum, ac Sanctarum rerum, & Scripturarum imprimis calamitatem eam

(a) Ep. ad Ven. Sacerd. lib. 1.

eam eſſe, ut Hieronymum optandum ſit reviviſcere, cujus ſolertiſſimam induſtriam reconditam Graecis, & Hebraicis voluminibus ſapientiam, latinis literis illuſtraſſe, & Pſalterium, ex ſcriptorum vitio, depravatum, omni ex parte teſtatur „ Succiſi, inquit, plurimi „ jampridem Hieronymi diligentiâ, quaſi „ ſecuri quadam, Scripturarum errores, ne- „ gligentiâ hominum nimiùm de integro pul- „ lularunt „ Et iterum ad Clarum legum Interpretem ſcribens „ (*a*) quid non quaeſo, „ inquit, hoc eſt dedecus, an mediocre ſce- „ lus eſt, & non potius indigniſſimum faci- „ nus, Sanctarum Scripturarum ſinceritati, „ ac luci tenebras offundere? „ Hinc ad Hieronymi ingenium, Graecorum, atque Hebraicorum codicum, quòd fontes ſint, lectionem, plurimùm ſuadebat. (*b*) Ob hanc autem, arbitror, praecipuè cauſam, praeter coeteros Patres, Hieronymum maximi faciebat, ejuſque operibus perlegendis ſtudio maximo dabat operam; hortatuſque eſt ſaepenùmero Amicos ac Diſcipulos cariores, uti Hieronymum,

(*a*) Lib. 1. Epiſt.
[*b*] Ep. ad Ci. Legum Interpretem.

mum, quem, cum ſeſe dabat occaſio, nunc ſuum, modò delicias ſuas, aliiſque id genus nominibus, appellabat, legerent crebrò, percurrerent, ac dixerim, concoquerent. Verùm non eâ ratione in Hieronymum ejus ferebatur ingenium ut coeterorum Patrum nullam habuerit rationem; nam Libro de Ordine diſcendi, filium edocens cum Hieronymo Auguſtinus etiam, Ambroſius, Gregorius, Hilarius, Leo, Lactantius Bernardus, quem ſuum vocat, (*a*) coeterique Catholici Praeceptores celeberrimi magno monebat, haberentur in pretio, & ita eorum lectione, ac doctrina ſe oblectaret, ſuadebat; ut menti penitus inhaerentes, non facilè memoriâ aboleri poſſent. Sed Sanctorum Patrum foetus, licèt maximi fecerit, eorumque ſtudium maximè hortaretur, quòd ea, quae ad Chriſtianam pertinet traditionem, abundè ſatis ſuppeditent, tamen ſi, unius ſola eſſet auctoritas, non eidem ſtatim aſſentiendum arbitrabatur, ut plerique jamdudum facere conſueverunt; ſed tunc ſolùm ejuſdem Patris placitum arridebat,

cum

(*a*) Suum Bernardum Datus appellat quòd aediculam, in ſuburbano, in ejus honorem dedicarat, ac quotannis ejus Feſtum ſatis genialiter celebraret.

cum recta ratione, aliorumque conſenſu, id traderetur. Nam Libellum de Novem Verbis, quem carioribus diſcipulis inſcripſit, in hunc modum eſt orditus „ Non debet inquit omni-„ no arrogans videri, optimi Adoleſcentes, „ & cariſſimi fratres, contra veterum ſenten-„ tiam, ea improbari nonnunquam, quae au-„ ctoritate quadam potius, quàm certa ulla „ ratione, a veteribus ipſis tradita ſunt. Nec „ ullo aut Senatus Conſulto, aut Plebiſcito „ cogimur, ut cum illis ſemper ſentire de-„ beamus „ Ut autem eò revocetur oratio, unde huc eſt digreſſa, ad facultatem, quod ſpectat, ut etiam in Sacris Aedibus de rebus Divinis verba faceret, legimus quadrageſi-mum ferè, & quintum dum annum ageret, Eccleſiaſtem egiſſe; cujus rei ſupra meminimus, quamque Filii, quae ſequuntur verba ſatis ſuperque declarant „ Memini inquit, „ acceptabili tempore Quadrageſimae, quam „ appellant, cum admodum puer eſſem, Pa-„ trem .... palam omnibus, excelſa cathe-„ dra, & eminenti pulpitu praedicaſſe Evan-„ gelium Dei, cum Magiſtratus quoque, „ qui ad audiendum convenerant, reſiderent

„ in ſublimi ſuggeſtu, & multo Populi fa-
„ vore, ac incredibili omnium attentione,
„ ac mera cunctorum gratia, Sacri Concio-
„ natoris officio peregregiè fuiſſe perfun-
„ ctum „ Incredibile profectò dictu eſt, quantùm Dato, in Oratoriam artem contulerint, quae, jam diximus, ſtudia, ac recondita veterum ſcripta; eò ut per id temporis, Senis Oratoriae Artis Antiſtes putaretur. Hinc ſanè vis magna dicendi. Hinc velut aureum flumen, & quaſi torrens ferebatur, dum publicè diceret. Hinc plures orationes perpolitae, locupletiſſimae, graviſſimis verbis, ſententiiſque plenae, ad Tullianos Canones inſtitutae, ac ſapientiſſimis veterum cum Graecorum, tum Latinorum placitis ſpectatiſſimae. Nulla hìc jejunitas bonarum artium, nihil ab hiſtoria traditum, quod modò in rem ſit, intactum relinquitur. Omnia ab auctoritate abſolutiſſima, & ab humana ſolida ratione ſunt deprompta: omnis in iis antiquitas eſt, atque exemplorum vis, omnia denique, ut paucis rem totam conſequer, apta ſunt ſatis ad perſuadendum. Hanc rerum copiam, atque ubertatem niſi fuiſſet conſequutus Auguſtinus,

non

non herclè potuiſſet tam argutè, vehementer & callidè varia ſemper eloqui, de omni re, quaecumque eſſet, appoſitè, copiosè, atque ornatè dicere, diverſa ſemper excogitare, ſaepè, licèt iiſdem de rebus, loqueretur. Etenim de Philoſophiae laudibus decies orationem habuit, de Connubio fortaſſe quinquagies, de Republica, & de Magiſtratibus ſaepiſſimè, ac ferè ſemper novi cum legerentur Praetores, aliique Senenſis Populi Adminiſtri; Magni praeterea cum Principes, Cardinales, aliique praeclariſſimi viri Senas tranſirent, diebus anni Chriſtianae Religionis ſolemnibus, in funere clariorum cum ſanctitate vitae, tum doctrina virorum, & ne plura, quae ſunt pene innumerabilia conſecter, qualibet, vel leviſſima occaſione, ſive Romanâ, ſive Hetruſcâ linguâ, ad Populum verba habuit, nec rarò publica auctoritate „ Eum (*a*) enim ad omnia, de qui-
„ bus quiſque audire vellet, paratum ex tempo-
„ re Cives ſciebant „ Hujus rei non ſuboſcurè meminit ipſe Datus ad Galganum Petruccium ſcribens „ Perraro, inquit, jam pridem ſoli-
„ tus ſum in Urbem commeare, quò cum

 „ ve-

(*a*) Or. de patern. laud.

„ venio, confeſtim laquei iniiciuntur, & re-
„ tia. Si quis funeratur, funebrem me ora-
„ tionem habere oportet. Si ad ſtudia lite-
„ rarum cohortandum ſit, itur ad me, undi-
„ que ſuaſus, undique preces & importunio-
„ ra verba premunt „ Quidquod ea erat praeſtantia, atque in arte dicendi animi promptitudine, ut crebrò ad frequentem virorum coetum extemplo, ac ſumma omnium admiratione luculentiſſimas orationes habuerit, maximâ clarorum virorum approbatione. Quod quidem onus Periclem, atque Demoſthenem legimus recuſaſſe, cum ad conſulendum, atque orandum accerſerentur, quòd minimè ſe inſtructos, ac planè imparatos affirmarent. Sed de ejus in hac flexanima facultate ſit ſatis, tum quòd, cum aptior erit locus, plurimùm ea de re agemus, tum ne ex hiſtoria, quod hìc feciſſe ſubveremur, exornatam, de Dati Laudibus, orationem confeciſſe videamur. Ad ejus quod ſupereſt literariam hiſtoriam, illud falſum eſt, quod tenet fama, literiſque multorum (*a*) Senenſium eſt memo-

riae

(a) Inter eos eſt Beliſarius Bulgarinus, & Giglius noſter; cujus ſales, facetiae, magnuſque in jocando lepos, cum memoria, tum ſcriptis apud eruditos floret.

riae traditum, Aeneam Sylvium nimirum, qui poſtmodum Romanus Pontifex fuit, Senis Baſileam proficiſcentem, Dato noſtro Conventum illum Eruditorum commendaſſe, quem Noſtrates Academiam Magnam vocant. Nam id haud quaquam contingere potuiſſe, ſatis ſuadent, cum Dati noſtri aetas, quòd per eam tempeſtatem annos decem vix exceſſerat, (*a*) tum plura, quae fuſius in Aeneae Sylvii hiſtoria ſumus perſequuti. (*b*) Ad Rempublicam maturè acceſſit: Popularium Partes ſtudio maximo eſt ſequutus. Cum enim civilibus armis oppreſſa Reſpublica jaceret, quòd Civium Ordines, quos Montes hac tempeſtate Senenſes dicimus, vel ipſi ad invicem diſſiderent, ipſe cum coeteris, qui paci ac tranquillitati in Civitate conciliandae navabant operam, Popularium Partibus & numero, & praeſtantia pollentibus, adhaeſit. Praeturam Maſſanam obtinuit; quod quidem contigit anno milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo octavo, annum dum ageret octavum, & trigeſimum. Plures autem annos cum imperio, Prae-

(*a*) Anno Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo Aeneam Sylvium Senis diſceſſiſſe, cum ipſe tum alii illius Seculi Scriptores tradiderunt.

(*b*) Pag. in MS. 37.

Digitized by Google

Praetoris munus in ea Civitate peregit. Maximis praeterea, & ampliſſimis Civitatis noſtrae functus eſt honoribus; quin, & in Supremo Magiſtratu principem aliquando locum obtinuit. Cum Pius Secundus Pontifex Maximus Mantuam, ad Chriſtianorum inſtitutum conventum, iturus, Senis aliquandiù conſiſteret, ipſe juſſu ejus, qui Profeſſoribus praeerat, quemque Rectorem vocabant, pro omnibus, qui juventuti erudiendae praeficiebantur, publicè ad eumdem Pontificem verba fecit. Ad illum quoque Pontificem Orator non ſemel Romam profectus eſt, & triennio imprimis poſt, de graviſſimis Reipublicae rebus acturus; quo tempore Marianus Thomae filius eidem ab Epiſtolis, decreto publico, datus eſt; Quoquidem tempore plures menſes, & fortè annum Romae conſedit. Solemni pompae, quâ Pius S. Andreae Apoſtoli Caput extulit, cum coeteris Principum Oratoribus interfuit; ſaepenumero orationem ad frequentem Purpuratorum Senatum habuit. Ad Pontificem aditus ei patuit quotidie, quòd perhumaniter eum exciperet Pius, qui, Popularium parti alioquin infenſus, plurimùm ejus conſuetudi-

ne

ne delectabatur. Gratiâ autem apud eum eò uſque valuit, ut inter eos praeſtantiſſimos viros fuerit, quos die Sancto Paſchae in Sancti Petri Templo, Divinam Rem ſolemni pompa agens, Sanctiſſimo Chriſti Corpore ſua manu refecit. (*a*) Quin Româ Viterbium diſceſſurus Pius circa finem menſis Aprilis, Auguſtini auctoritate, & precibus, in viam ſe dare diſtulit ad IV. Nonas Majas, quo Sanctae Catharinae Senenſis Feſto die occurrente, apud Aedem Minervae Sacris adeſſet. (*b*) Apud omnes ferè Aulae Romanae Proceres ſummo fuit in honore vir doctiſſimus. Eum enim convenire ſolebant quotidie Cardinales ampliſſimi, graviſſima cum ipſo conſilia communicabant rei Chriſtianae Adminiſtri, & Prin-

(*a*) Pjus Praeſul..... deſcendit in Eccleſiam Apoſtolicam, Sacrum prae ſe geſtans verticem, & divinam rem agens.. tradiditque compluribus Sanctiſſimum Chriſti Corpus, Clericis & Laicis. Inter quos fuerunt Oratores Venetorum Nicolaus Sagundinus, ac Senenſium Auguſtinus Datus, ambo inſignes Rhetores ac Philoſophi elegantes, Graecis ac Latinis literis imbuti. Nec minor his Polycarpus Regis Hungariae Legatus, & alii praeſtantes viri. Gobel. Comment. l. 8.

(*a*) Receſſiſſet Sanctiſſimus Dominus noſter hac hebdomada, ſed me impulſore, & humiliter ſubmonente, decrevit honorare hic feſtum Sanctae Catharinae Senenſis. Ep. ad Dominicum Biliottum Canonicum.

Et iterum ad eumdem in alia epiſtola. Sanctiſſimus Dominus noſter diſcedet die tertio Maii quia me auctore ſupplicante, remanet ut honoret ſuâ praeſentiâ feſtivitatem Sanctae Catharinae Senenſis, in loco, ubi Sacra ejus Oſſa quieſcunt ad Templum Minervae.

Principum quotidie virorum menſis vocatus, ferèque coactus, accumbebat. Sed ab hoc vitae genere ſatis illum abhoruiſſe haec, quae ſequuntur verba planè comprobare videntur „ Defeſſus ſum, inquit ad Biliottum Eccleſiae Senenſis Canonicum (*a*) ſcribens „ modò equitando ad Summum Pontificem, & „ ad Cardinalium Coetum „ & iterum „ A „ Pontifice vix poſſum diſcedere, & a Reverendiſſimis Dominis .... veniunt quotidiè Cardinales, ſermonibus defaticant, „ cum iis comedo; hoc autem genus vitae „ abhorreo „ Et profectò nil alienius ab Auguſtini moribus eſſe poterat, quàm ejuſmodi vitam degere. Viro enim aſſueto bonarum artium ſtudiis vivere: genio, & literariae quieti indulgere, auditores docere, per ocium, cum liceret, etiam ruſticari, quidnam durius poterat accidere, quàm, in magnorum virorum conventibus, ac Purpuratorum coetibus, verſari? Vino epuliſque plus aequo, velut ſi tranſalpes eſſet, officii gratiâ indulgere? Accedebat quod ipſi, Reipublicae rationes, & negocia in Romana Aula procuranti, fre-

(*a*) Ep. l. 1.

frequentes, & ſatis prolixae conſcribendae erant epiſtolae, quibus Senatus de iis, quae fiebant edoceretur. Hincque diuturnae vigiliae: hinc aliquando ſomno graves, vix & aegrè admodum, coercebat ocellos. Profectò ut, ab hujuſmodi rebus, urbiſque frequentia, ſeſe aliquandiu, dum hac fungeretur Legatione, ſubduceret, & ad naturae inveſtigationem, contemplationemque rerum, animus traheretur XI. Kal. Quintilis, cum jam jam aeſtivi Romani calores hominem afficerent, in Urſinum profectus eſt; ubi quemadmodum ad Proſperum Cardinalem Columnium ſcribit (*a*), nunc in ea perjucunda montium, & ſylvarnm ſolitudine, ubi prata quoque erant, quà molliter inambularet; modò in vaſtis ac ſalebroſis rupibus, inter dura ſaxa, exciſa ſedilia, vite deſuper atque edera tecta; quandoque prope nitidiſſimum aquae ſalientis fontem, ubi erant procerae atque altiſsimae arbores, frequenti aura, & avicularum garritu plurimùm perſonantes, in magno, optatoque ſilentio, non languere ocium patiebatur. Nam, quibus hìc uſus eſt librorum, ac ſtudiorum varietatem:

G incre-

[*a*] Lib. I. Epiſt.

incredibiles inter legendum, & contemplandum voluptates, verba nec epiſtolam conſequi poſſe, ad eumdem Cardinalem per literas ſignificavit. At de ejus, in ſolitudinem remque ruſticam, ingenio, paulo infra pluribus agemus. Illud certè non eſt hìc praetereundum perurbanos ac facetiſſimos viros hìc inveniſſe, cum Romana facundia, tum omnium rerum doctrina praeditos; (*a*) quorum conſuetudine, ſtatis quotidie horis, multùm eſt uſus. Teſtaturque, iis in herba ac pratorum viriditate recumbentibus, ſaepenumero de literarum diſciplinis, de virtute, de moribus, deque communi omnium laudum gloria, varios miſcuiſſe ſermones. Sed eo revocetur, unde huc efluxit oratio. Alias quoque iniit Legationes pro Republica: Florentiam, poſtero anno nimirum milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo; quo tempore Bartholomei Scalae, qui Florentinorum Magiſtratibus ab Epiſtolis erat, amicitiam ſibi comparavit, quamque abſens, conſuetis epiſtolis, ſaepenumero excoluit. In amicitiis enim ineundis, excolen-

(*a*) Fortè Romanae Aulae cultores erant, qui aeſtivi caloris vitandi gratia, ruſticatum venerant.

lendiſque diligens, & induſtrius admodum fuit. Profectus eſt autem iterum Romam ad Regem Daciae, cum nonnullis aliis Civibus ornatiſſimis; qua occaſione, ut evenire perpetuò ſolebat, ipſe ad eumdem Regem Latinam Orationem habuit; Quam quidem rem, cum Princeps ille Româ veniens ad proprios lares reverteretur, iterum publico nomine praeſtitit. Alias quoque ad Principes, & Reſpublicas iniiſſe Legationes memoriae proditum accepimus. Scribae quoque munere biennium functus eſt. Ampliſſimum dignitatis, atque auctoritatis hoc munus, apud Majores noſtros fuiſſe legimus. Nam Senatus Conſulta primùm, deinde acta in Commentarios referebat Scriba, Patrumque diſcordantiam, quotquot ii fuiſſent, ſcriptis conſignabat. Eorum praeterea, qui in Senenſi ditione rebus praeerant, epiſtolas frequenti Senatu reſignare, novos Magiſtratus, de cujuſque juriſdictione, & partibus ſeorſum docere, eorum fidem juramento adſtringere, ac demum omnia, quae erant publicae fidei monumenta, Senenſium ſigno obſignare. Hac honoris, ac dignitatis acceſſione, anno ejus ſeculi ſeptimo

& quinquageſimo Eidibus Aprilis, Auguſtinum ornarant Senenſes, uti aliquam eorum laborum referrent gratiam, quos in Senenſium ſcribendis rebus exhanthlarat. Nam, cum plurimi noſtrorum Civium imperitiſſimi, ac ſceleſtiſſimi, occulta conſpiratione Rempublicam Piccininianis viribus agitatam, peſſumdare, ac planè perdere, ſed fruſtra, conati eſſent, ipſi Senatus Conſulto datum fuit negocium, uti totius rei hiſtoriam, ab adventu Alphonſi Aragoniorum Regis in Etruriam, ad ea tempora, quibus impii poenas dederant, conſcriberet. Quin & Senarum Urbis hiſtoriam aliquando ultro ab initiis exorſus eſt; quam cum, neſcio quibus diſtentus negociis, intermiſiſſet, decreto publico juſſus eſt perficere, eique ſupremam manum imponere. Quo tempore, cum magnos, propter adverſa ac difficillima tempora, quae Piccininianam, quam diximus, conjurationem conſequuta ſunt, labores perpeſſus eſſet, qui ſtudiorum rationi in Lycoeo praeerant, ſumma auctoritate, quaſi recreandi, & reficiendi animi ejus causà, uti Sactorum Patrum monumenta celebriora, diligenter auditoribus ſuis communicaret,

caret, negocium eidem dederunt. Ipſe profectò praeclarè, hac ratione, ſecum actum putavit, quòd ad eam exercitationem compelleretur, ex qua voluptatem quamdam, atque jucunditatem ſeſe percepturum arbitrabatur. Ut igitur eorum ingenio obſequeretur „ ex „ infinita quadam librorum, & Sacrorum Vo- „ luminum multitudine „ opus Sancti Hieronymi contra Jovinianum explanandum ſuſcepit. Cujus quidem rei plura adhuc ſuperſunt, de quibus, dum ſeſe occaſio offeret, pluribus agemus. Amicorum interim ac domeſticorum rebus numquam defuit: eorum controverſias, cauſaſque, ut ſupradiximus, conſueta eorum temporum juris oſcitante ac dormitante prudentiâ, eſt tutatus, dummodo ex iis non eſſent, quae ut ajt Cicero (*a*) plerumque inficiatione defenduntur. Sed & iis aliquando adfuit, ne multorum odium incurreret. Nam ſcribens ad Laurentium (*b*) Pariſienſem, dicit dolere admodum, quòd ei da tum ſit crimini iis adeſſe, qui „ cuniculos ad „ aerarium egiſſe tradebantur: quid agat neſci- „ re;

[*a*] De Sicariis, de veneficiis, de peculatu inficiari neceſſe eſt. De Orator. l.2.
[*b*] Lib.1. Epiſt.

„ re ; timere , ne ſi deſit , odium inveniat , ſin „ minus reprehenſione non carere „ At has ſollicitudines Chriſtianum tenere hominem minimè condecet ; cum , ad inficiationem quod attinet, vel ipſe Cicero a ſola Ethnicorum Philoſophia didicerit , primam amicitiae legem eſſe , ne quid injuſtum ab amicis petamus , neve quid faciamus rogati . (*a*) Poſtremo aetatis ſuae tempore , miſſis Philoſophorum libris , Oratorum , atque Hiſtoricorum monumentis poſthabitis , ad Sacros Codices animum pene totum adjecit , & tanquam ſubſidium ſenectutis , in eorum , qui conſultum ſe' venirent , multitudine , felicitatem ſibi tributam eſt arbitratus . Ne ullo tempore iis deeſſet , qui ad hoc rei , ſeu conſumendi otii cauſa , ſive , ut quid addiſcerent , fortè veniſſent , familiares ſuos hortatus eſt , atque amicos , ut vel ſingulis horis ſe pro conſuetudine , adirent (nunquam enim gravatus eſt breviter , quoad poterat , quid quaque de re ſentiret , dicere) nihil ſibi gratius eſſe , nihilque optatius , quàm de rerum natura interrogari ; neminemque fore profectò , qui eum eſſet tot inter-

(*a*) Cic. lib. De Amicitia

Digitized by Google

terrogationibus ſatigaturus . „ Eo enim inquit „ ad Laurentium Venturinum ſcribens , (a) „ ſum natus ingenio , ut nemini pròrſus ni- „ hil gratificer ; vehementi gaudio afficior ſi „ quis quid a me quaerat „ Coepit propterea veſperi , poſt Sacrarum Literarum lectionem , velut novus Ariſtotiles , Bibliothecam ut ludum aperire , umbratilem veluti dicendi exercitationem inſtituere , adoleſcentibus eruditionis ac ſapientiae viam commonſtrare , utque fieri ſolet , digitum ad fontes , unde ea haurirentur , intendere , familiarium turbam adeſſe , quaeque hinc fierent multorum dierum commentationes , ſubſecivis , ac furtivis dixerim noctium temporibus , literis commendare . Hac occaſione plura ſuperfuerunt monumenta , ex ejus literaria haereditate , quae , optimo jure , filius editor in Rempublicam intulit . In iis ſunt nonnulla , de quibus infra agemus . Appetente autem ejus vitae termino , nihil praeter ea , quae ad rem Divinam pertinerent , lectitabat , ac meditabatur . Ad immortalitatem viam ſibi parare ſtuduit luculentiſſimis , de animorum immortalitate , libris ,

quos

(a) Ep. lib. I.

quos, contra Pomponacianae haereſeos ſectatores, ut arbitramur, eſt aggreſſus. Rem itaque dum ſcriberet, & ea rimaretur, quae poſt vitae curſum, aliam quoque vitam hominibus ſupereſſe ſatis ſuadent, teterrima peſte anno millesimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo, ſaeviſſimè Civitatem noſtram metente, ipſe morbo intercipitur; poſtque tertiam diem, Sacris ad expiandum animum ritè procuratis, octavo Eidus Aprilis, infinito rerum publicarum ac forenſium labore defatigatus, magniſque perfunctus honoribus, miſerabili mortis genere, ab humanis, tamquam ab hoſpitio, exceſſit, annum dum ageret ſexageſimum, ac circiter uno minus. Statura Corporis fuit brevi, feſtivus ac facilis, ingenio acri atque honeſto, & memoriâ planè ſingulari. Habitus Corporis, ſtaturâ licet brevi, cum dignitate, gravitatem in eo praeſetulit. Severitatem Chriſtianae Religionis, & vitae ſanctitatem amoeniſſimis moribus conjunxit. Rei Chriſtianae fuit ſtudioſiſſimus, & Sacrorum obſervantiſſimus. Apud Sacerdotem ſingulis menſibus, uti contractas animi ſordes elueret, vocalem peccatorum expiationem facere, & Sanctiſſimum Chriſti

Cor-

Corpus quater quotannis ſumere conſuevit. (a) Statutis nocturnis horis, in Sacello, quod S. Bernardini aliquando cubiculum fuiſſe ferebatur, coeleſtium rerum contemplationi vacabat, & precibus Divinam opem ſibi ſtuduit conciliare. Locum autem illum frequenter, & noctu praeſertim, adibat; illumque veluti Sanctorum Sedem, ac Domicilium venerabatur. Cumque Sacram Aedem in ſuburbano, Pii Secundi auctoritate, aedificaſſet, ac poſtmodum in honorem Sancti Bernardi, quem inter cariſſimos habuit Superos tutelares, dedicaſſet, ejus feſtum diem anniverſaria ſolemnitate, tamquam gratiſſimi numinis, publicè, ac ſi genialis eſſet, celebrare ſolebat. Supereſt etiamnum oratio, quam, Hieronymus Datus, qui Nicolai Filii nepos appellatur, adhuc puer habuit, cum idem Datae Gentis ſolemnis feſtus dies celebraretur „ Magna inſi- „ gnium, ac reverendorum convivarum „ aſtante corona „ Quotidie manè Templa viſebat, ut Deum oraret, atque Sanctiſſimo Miſſae Sacrificio adeſſet; & primam, atque alteram diei horam, ſi filio habenda eſt ſi-

H des,

(a) Or. de laud. eloquen.

des, Divinis Rebus, ac Religioni conſecrare conſuevit. Obſcoenas carnis titillationes, ac blandientem Venerem, crebris jejuniis, diuturnis vigiliis „ multa aſſiduaque Sacrarum „ Scripturarum lectione, ſupplicibus votis, „ & flagelli quandoque caſtigatione,, compreſſit. Piis praeterea operibus ſtuduit perpetuò, adjutrices manus porrigebat egentibus, vi oppreſſos acriter defendebat, dolo malo petitos clementiſſimè tuebatur. Fuit in ejus ſermone nativa quaedam ſuavitas, atque eloquentia; & in amicorum, ac ſociorum conventibus, feſtivitas quaedam, facetiae, jocandique lepos ejus ſermoni ineſſe videbantur. Hinc odio proſequebatur homines ineptiſſimos, qui, cum Magiſtratibus fungerentur, eſſentque excelſo loco conſtituti, ſubobſcurè, negligenter, ac ſub ruſticè loquebantur. Penitiſſima rerum arcana, Scientiarum atque artium dogmata percallere, ac penetrare ſtuduit; reſque non per, eorum qui trans Alpes incolunt, Epitomas, ac Breviariola, quemadmodum tempeſtate hac noſtra non raro facimus, quod mihi quidem perquàm puerile videri ſolet, ſed ex veterum lectiſſimis monumentis, pluribuſque

que

que eorum fontibus, haurire contendebat. Qua ſuper re accepimus abhorruiſſe ab iis, qui, quaſi privati praecones, clamando contra quàm deceat, ſua voce tamquam tuba, propriae ſtultitiae quamplurimos teſtes, ſatis ridiculè convocant, colliguntque; ſolitumque fuiſſe execrari eos, qui „ volentes ſe „ ſciolos oſtendere prae omnibus ſui generis „ „ atque indoctis auribus videri ſapientes „ ſinè ullo pròrſus rectae rationis conſilio, vana quaedam, ac inania meditabantur; fabellaſque, ac ſomnia ſtolidiſſimis, omnique popello venditabant. Ruri animus ejus plurimùm delectabatur, cum, quaſi novus Cicero, Atticam ruri eſſe arbitraretur „ Rura me plerumque „ tenent inquit „ Hìc, quemadmodum de Romana ruſticatione diximus, ſub umbroſis patuliſque arboribus ſedens, in ſcrutandis, inveſtigandiſque naturae rebus, tempus fallebat. Etenim ſinè his ſtudiis, nullam vitam eſſe, nullamque ruſticationem duxiſſet „ Illud brevi „ perſtringam, inquit in Epiſtola ad Laurentium Pariſienſem „ me praeter coeteros cives „ ruſticis oblectamentis delectari, ut vix ur- „ banus jam haberi debeam „ Et iterum

 „ ocio

„ ocio fruimur, inquit ad Philelphum ſcribens, ac nobiſcum Philoſophia ruſticatur. „ Quotidie enim, ut ſcias quid agam, venitur in opacas ſylvas, ſub umbroſis amoeniſque arboribus conſeditur, ubi omne ſtudium atque opera tribuitur ſervandis, inveſtigandiſque rebus .... In eo igitur nos ſilentio, inque ea ſolitudine, rerum naturas cauſaſque contemplamur; malo habere ſolas convalles, ac vaſta colere montium praerupta, quàm graves perpeti Urbis moleſtias „ Et iterum eadem de re ad Proſperum Cardinalem Columnium ſcribens. „ In hac re mea ſemper haec ratio fuit, ut optimo loco eorum fortunam ſitam eſſe exiſtimarem, qui parva tuguria, tenues caſas habitant, qui pellibus operti, glande, olere, pomiſque victitant... qui in contexto palmarum foliis atque ſtipulis cubili dormiunt: qui moleſtia omni ac labore vacui, ſumma animorum quiete, ac tranquillitate fruuntur; cunctiſque relictis humanis rebus, ſeſe in vaſtas etiam ſolitudines contulerunt „ Quo circa hoc ductus ingenio, mallebat intonſa barba, prolixo capillo

pillo, ſordida ac diſſuta veſte, in ſaltu verſari, & nemore, ferarumque latibulis, quàm in urbe forenſibus atque urbanis negociis diſtentus vivere. Hinc ex ea, tamquam ex vinculis, quoad licebat, ſaepe numero evolabat: hinc, quemadmodum de Cyro Perſarum Rege, ac Diocletiano Principe proditum legimus, curâ, ac literario labore vacuus, fundi, atque agelli partem aravit, novavit, propriis ipſe manibus excoluit, viticulis, atque arboribus exornavit. Etenim corpus ejus, quemadmodum diximus, bene habitum, ac vegetum, valens non ſolùm erat ad libros diu noctuque evolvendos, ſed ad labores ruſticos quoſque ſubeundos, ac ſuſtinendos. Hinc, quaſi novus Seneca, prope Sancti Bernardi, de qua meminimus, aediculam, altas inter viburna cupreſſus plantavit. Quod herbarum calleret naturam, iiſque, ſicut & leguminibus, victitaret, earum ſator erat & diligentiſſimus cultor. Pernoctare aliquando ſubdio, modò ſub ardentiſſimis ſolibus, montium cacumina aſcendere, & aeſtum pati. Non raró curſu contendere, vel ſuiſmet pedibus, vel citato equo, quoniam equorum induſtrius fuit domitor. In quo quidem

valuit

valuit plurimùm; eoque tractandorum equorum ſtudio tenebatur, ut eorum ad metam curſum, eorumdemque e carceribus emiſſionem, ut Senis jamdudum fieri conſuevit, ſpectare maximè averet, illorumque celeritatem ſibilis, aliiſque id genus ſtimulis, excitaret. Sed ad equorum uſum, quod attinet, ſatis longam de Auguſtino narrat hiſtoriam Nicolaus filius, quâ accepimus illum intractatum, ac novum equm agitantem, cum ferum animal nunc in altum proſiliſſet, modò pronum rueret, praecepſque, poſt paulo citato curſu, in eo eſſet, ut prolaberetur, ab amico Sacrificulo, qui ſolus rei aderat, in vitae diſcrimine creditum. Cumque is fraenos inhibere haud potuiſſet, viſum eidem fuiſſe Auguſtinum diſcerptum videre, ac ſemianimem. Diſcordiarum, ac diſſidiorum naturâ, atque indole inimicus fuit „ Bimeſtruas accepi literas, inquit ad Galganum Petruccium ſcribens, „ (a) quarum utraque Pientinis reſonant con-„ troverſiis. Noſti me jampridem quali ſum „ natus ingenio, ſcis adſtipulatorem pacis, „ acrem belli inſectatorem. Naturâ odi bel-

„ lum

[a] Lib. I. Ep.

„ lum , & ea quae inde manant omnia , male-
„ dictiones , rixas , diſſidia , iras , contentio-
„ nes „ Quid quod cum iidem Pientini Cives ab inceptis invidiis , atque diſſidiis minimè deſiſterent , ſtudio maximo eos authoritate & precibus conciliare curavit „ Eum ſum populum „ inquit ad eumdem Petruccium Praetorem Pientinum ſcribens „ ad concordiam ,
„ ad quietem , ad moderationem cohortatus
„ Eatenus mea omnis tendit oratio , & pro-
„ greditur opera valere ſino . „ Propinquorum & cognatorum fuit ſtudioſiſſimus . Fratres , miſſis iis , qui vel ante ortum , vel ab ortu ſtatim interierunt , duo de viginti habuit , quamquam & horum nonnullos , vel immatura mors ab ubere rapuit , aut infantiae annis abſorpſit . Ex his fuit Joannes rei domeſticae a Patre praefectus , qui Corſiniani plurimùm verſabatur , quòd praedia & fundi Datianae Familiae ibi eſſent , cellae vinariae , oleariae , ac frumentariae , ſylvae quoque caeduae , & paſcua ad rem pecuariam (*a*) . Fuit quoque alter , Jacobus nomine , & ipſe praeſtantiſſimus vir , quem rebus ruſticis curandis praefectum legi-

[*a*] Lib.1.Ep.

legimus . Uxorem hic duxit lectiſſimam foeminam, Gineveram nimirum, ejus Franciſci Patricii filiam , (a) qui poſtea Eccleſiae Cajetanae factus eſt Pontifex . Huic quoque non rarò commiſſa eſt a Patre , rerum domeſticarum cura „ Vindemiam , inquit Auguſtinus ad Patrem ſcribens , Jacobus curat probè , parcus „ eſt , diligens , & tuendae rei familiaris per- „ quàm peritus „ Franciſcum praeterea fratrem habuit inter Canonicos , quos vocant , Sacrae Liturgiae in Eccleſia Senenſi addictum , egregiis virtutibus , ac vitae innocentiâ ſpectatiſſimum . Ejus mors , eo miſerior fuit , quòd aetate , ac moribus florentem , haud opinantem repentè oppreſſit . Etenim ut Auguſtini Fratris verbis utar „ redeun- „ tem domum , jactus fortuitò lapis homi- „ nem ferit , caput infringit , parvoque tem- „ poris momento delet „ Alterum quoque habuit inter Monacos S. Salvatoris , Canonicos Regulares dicimus , quem Fratris Joannis nomine appellatum comperimus . Rem huic mi-

(a) Hodie tranſacta res eſt . Jacobus frater uxorem accepit Geneveram Franciſci Patricii filiam , cum omnibus partibus , quas ſolent in Matrimonio exquirere , & deſiderare homines . lib. I. Ep. ad Dominicum Biſſottum .

miram contigiſſe narrat Auguſtinus frater, & quidem non planè ineleganter, in primo Hiſtoriarum Senenſium libro „ Erat mihi in-
„ quit frater germanus, minor natu, qui
„ ſub S. Salvatoris regula, Deo ſerviebat. Is
„ aliquando ruſtico operi intentus, dum ſar-
„ mentum amputare cogitat, elabente falce,
„ media manu graviore ictu ferit, articulos
„ confringit, contractis nervis, manus elan-
„ guet. Hanc quatuor circiter annos ma-
„ num, & velut concretis digitis langui-
„ dam, ac intractabilem gerit. At cum ſup-
„ plex, & multa vi lacrymarum profuſus
„ in Baſilica S. Donati, ſpectantibus multis,
„ ad Bernardini Cervical manum admovit,
„ ſubitò, recuperato vigore ita eviruit, ut
„ ad quemvis ductum facillimè convertere-
„ tur, & exinde percommodè illius mini-
„ ſterio uſus fuit „ Huc uſque Auguſtinus. Sorores habuit plures, ſed cariſſimam omnium habuit Bartholomoeam. Famulos quoque non parum amavit; nam Angelus, quem vocat domeſticum apparitorem, apud eum fuit, tanquam ſi filius, ac frater eſſet; & Nicoluc- ciam, quae ruri rebus ruſticis curandis dege-

bat velut matrem dilexit. Ipſe autem ne, ſi vitam degeret coelibem, Veneris blandimentis, & carnis illecebris vinceretur, ac turpi, & obſcoena libidine, ad quam erat natura proclivior, ac propenſior, laberetur in praeceps, uxorem, maturo conſilio, anno aetatis ſuae trigeſimo quinto, duxit Margaritam Petronam, genere, forma, & moribus ſatis ſpectatam; & rei familiaris adminiſtrandae peritia, ut Matronam decet, apprime claram, quaeque ad nonagenariam pervenit aetatem. Ejus vitam conſcribere pollicitus erat Hieronymus Datus Auguſtini Fratris filius; Revera autem an id praeſtiterit, eſt nobis inexploratum. Ex ea tres ſuſcepit liberos, nimirum Nicolaum Higinum, qui octavo ab ejus nativitatis die ad Superos convolavit: Theodoram, quam Lepidulam aliquando appellat. Haec, Divino poſtmodum favente numine, Franciſcanae Familiae nomen dedit in Parthenone, quem Pauperum Caſtri veteris, per eam tempeſtatem dictitabant. Nunc nobiles virgines ſunt, omnique honorum ac dignitatum genere, ſpectatiſſimae: Et Nicolaum denique Franciſcum, de quo pluribus infra agemus. Cum pro Re-
publi-

publica, vel pro re privata aliò commigrare oporteret, quod erat in ſuos ſtudium, uxorem & filios, remque omnem domeſticam Dominico Biliotto Stephani filio, Canonico Senenſi commendabat. Hujus rei, etſi plura in ejus epiſtolis ſuperſint teſtimonia, unum itemque alterum tamen attuliſſe erit ſatis, ut Auguſtini quantùm fieri poteſt, in ſuos ſtudium planè eluceſcat „ Oro te inquit, dum Româ „ ad Biliottum ſcriberet, ut meo, ſicut ſaepius dictum eſt, munere perſungaris, erga „ optimam genitricem, & dulciſſimas meas „ delicias Nicolaum.... quem tamquam ſis „ Auguſtinus amplectere, atque oſculare „ & iterum in alia epiſtola „ Amplectere meum „ Nicolaum dulciſſimum „ (*a*) Amicos habuiſſe longè clariſſimos ea, quae ſuperſunt ad eos, eorumque ad Auguſtinum epiſtolae, ſatis ſuperque declarant. Habes inter eos Pium Secundum, Franciſcum Cardinalem Senenſem, Proſperum Columnium, Alexandrum Olivam, alioſque Cardinales; quos cum Auguſtino egiſſe, velut cum amico, & propemodum aequali planè invenias. Ha-

(*a*) lib. 1. Ep.

bes Philelphum, Bartholomoeum Scalam, Leonardum Benevolentium, Franciſcum Patricium Cajetanorum Pontificem, Laurentium Pariſienſem, Petrum Stephaniſtam, Hieronymum Caſtellum, Baverium Medicum Bononienſem, alioſque praeſtantiſſimos viros Dati noſtri fuiſſe amiciſſimos. Nunc ejus doctrinam, praeſtantiam, & dicendi virtutem ſummis laudibus ornant, modò de ejus ſilentio conqueruntur, ad officia quaecumque paratiſſimos ultro ſe oſtendunt, atque elucubrationes ſuas ad eum mittunt, ejus laturi judicium. Auguſtinus contra amiciſſimè reſcribit. Hortatur hunc aliquando amatoriam levitatem ſpernat, alium, ut vir ſit monet, animi bona amplectatur, flagitioſorum, & ſcortorum illecebras declinet. Dicit quandoque non eſſe in hac vita ſegnitiei locum, Sardanapali mores fugiendos, & vitae Chriſtianae maximè obſequendum. At liceat hìc quaedam ex ejus literis excerpta afferre, ut ejus in amicos ſtudium ac pietas omnino pateat. Nam in coeteris ornamentis ac beneficiis, quae in eum Deus plena manu congeſſit, illud equidem, vel praecipuum duxerim,

quod

quod amicorum, ad bonam frugem, ut ajunt reducendorum, gravis coquere ſolebat cura. „ Fuge inquit ad Andream Capaccium ſcri„ bens, obſcoenas voluptates, mentis & ani„ mi pervagationes..... quotidie animum „ lectione ſatura bonarum rerum, verſare „ cum doctis viris, ab eis nunquam diſce„ de, unde poſſis abire doctior „ & ad Dominicum Biliottum, ruri libentiſſimè agentem, quo tempore literis dare operam oportebat „ Per tuum inquit in me praecipuum „ amorem, quo mihi nihil eſt ſuavius, oro te „ urbanus ſis, ruſticari nolis; per tuam exi„ miam virtutis indolem, quae te optimum, „ & praeſtantiſſimum virum ſpondet, oro te, „ ut hoc tempore ruſticari non libeat „ Quid quod cum aliquando reverſus Biliottus, amicis perditiſſimis aures praebuiſſet, virilem animum effoeminaſſet, optimam proſtraſſet indolem, tantae dejectae ſpei occurrit, per epiſtolam Auguſtinus „ Quid meas inquit lectio„ nes audire non vis? quae tibi a me orta „ injuria eſt.... Auguſtinum non audis pre„ cioſum munus afferentem? „ Praeterea cum Leander quidam voluptatum illecebris,

per-

perniciosiſque rerum fluxarum blandimentis jamdudum captus, in Helenum (*a*) quemdam ultionem anhelaret, quòd diſtricto gladio in eum impetum feciſſet, foeminamque ab ejus ſinu abſtraxiſſet; hominem amiciſſimum primùm coram, tum per epiſtolam ab inito conſilio deterrere, & ab ultione avocare curavit. Quòd autem dehortando conari videretur, eademque de re Leander fuiſſet conqueſtus, ad illum iterum literas dedit, in quibus ſe illum haud impediturum teſtatur, utque ſolùm bono conſilio uteretur vehementer ſuaſiſſe. Coeterum ad Chriſtianam laudem impetus addere cupiens „ magna res eſt „ adjecit, & magno regenda conſilio: re „ integra neminem umquam poenituit facti, „ factum autem quis infectum reddat? Pone „ prius iram omnem, dehinc quidſit agendum „ delibera. Magni viri, & excelſi animi eſt „ contemnere injuriam. Sed quid Helenus tibi „ ille inſanus? Euriphilem (*b*) tibi eripuit. „ Immò eripuit tibi ſummum malum. Habeat „ Euriphilem ſibi periturus. Sed dicis „ di-

(*a*) Arbitror Nicolaum operum editorem Leandri, & Heleni larvata nomina veris ſuffeciſſe, ne cujus invidiam ſibi conflaret.

[*b*] Id quoque nomen larvatum ſuſpicor.

„ diſtricto gladio in me impetum fecit, immò indicavit ſe inſanum eſſe; Fecit quae erant deſipientis hominis; tu fac, quae Leandri ſunt viri & omni ex parte ſapientis. „ Et Laurentium Pariſienſem auditorem ſuum, quem illicitis amoribus implicitum, & ingenium, quo pollebat, ſuum minimè excolentem, uti omni conatu, quàm accerrimè ad Chriſtum adjungeret, ejuſque hinc anima nihil detrimenti pateretur, hortatus eſt ſtudio maximo, ſi percipiendae cum amico voluptatis cupiditas eſſet, recordaretur ſuperiora tempora, & odio haberet amicam; amicam quidem nomine, ſed re ipſa acrem inimicam, mentis, nimirum & rationis „ Veniant inquit „ in mentem aliorum exempla, & utique te „ amorum pigebit. Ut ſtudiis incumbas te „ hortor, ut amorem ſequaris maximè dehortor, ut cum ſapientibus verſeris, ſuadeo, „ ut cum flagitioſis vivas, & cum ſcortis „ convivas pròrſus diſſuadeo „ Cumque aliqua ratione praeceptori ſuo, ſalubriora monenti, morem geſſiſſet Pariſienſis, iterum hominem Datus per Epiſtolam monuit, ne poeniteret conſiliis optimis ac monitis, quae eidem de-

dederat, paruiſſe. Nec ſolùm epiſtolis ſed verbis quoque, & coram amicos Deo, ac Chriſtianae vivendi rationi conciliare ſtuduit. Qua occaſione ſi acerbè, pro ſingulorum hominum ingenio, errantem quempiam reprehenderet, ejus verba, quemadmodum teſtatur Nicolaus filius, maximi *horroris erant ac metus*. Si verò humaniter aliquem hortaretur, ab ore ipſius melle dulcior, ac nectare ſuavior manabat oratio. Hac ſuper re, alia bene multa libenter omittimus, cum ne lectorem obtundam, tum ne alienis verbis chartas integras repleſſe videamur. Quae quidem caritatem ſummam, Chriſtianamque benevolentiam in amicos, & illorum in Auguſtinum voluntatem, atque obſervantiam ſatis produnt. Omnium autem amicorum maximè dilexit Petrum Stephaniſtam Hiſpanienſem, optimum adoleſcentem, quem cum ipſe, ſuis praeceptis inſtitutiſque, literis atque doctrinae peperiſſet, tamquam ſi filius eſſet ac frater, cum eo agere conſuevit. Hinc teſtatus eſt Datus, poſt filios ſuos Nicolaum & Theodoram primum in amore juvenem illum obtinere locum, contendebatque cum iis communem eſſe domum & eoſdem

dem

dem lares, ita ut illum Senis abſentem aegrè admodum pateretur; quo tempore benè multi, quod erat in optimum juvenem Datianae Gentis ſtudium, miſcebantur de Stephaniſta ſermones „ Nullum labitur „ inquit ad eumdem ſcribens „ nobis temporis momentum, „ quin vel colloquamur de te, vel cogitemus, quem incredibiliter dolemus abſentem. Ut te unicè diligamus, fecit etiam „ ratio, quae jubet, ut eos miro proſequamur „ amore, in quibus virtutem, conſtantiam, „ manſuetudinem ineſſe cernamus. Deus te „ nobis contulit, in quem omnes benevolentiae nervos intendamus. Te Filius, te „ Uxor, te Filia, te Angelus domeſticus apparitor, te noſtri omnes amant, colunt, „ affectant, noctes dieſque deſiderant „ (*a*) Nec tamen defuerunt etiam inimici non pauci, & praecipuè inter eos, ut poſt paulò videbimus, qui Optimatum partes ſequebantur. Verùm parum admodum detrimenti ii afferre homini potuiſſent, niſi amicitiam, ſimulatis officiis, verbulis, fictaque comitate portendere curaſſent. Quocirca Laurentius Pariſien-

K

(*a*) Or. lib. 1.

ſienſis, vir forenſi uſu praeſtantiſſimus, quique, ut ſupradiximus, ab Auguſtino optimis literis fuerat imbutus, hominem ruri tunc agentem, ſtudio maximo monuit, non eſſe veros amicos, quos crederet ſuos eſſe, ſed in eorum lingua mel ſitum apparere, & in corde venena deliteſcere: nolle per epiſtolam fuſius ſeſe explicare, Senas rediret, ſi velle rem ordine ſcire (*a*). Re domeſticâ uſum fuiſſe non ampliſſima, ſed nec admodum anguſta, quae ipſe ad Patrem aliquando ſcribit non ſubobſcurè videntur ſuadere „ Cella olearia inquit impleta eſt, penaria inſtituta, „ cura habita frumenti, ut juſſeras. Hordeum venumdatum, vinum non ſecus quod „ vendi praeſtabat, fundus locatus eſt. Colendis agris data opera. Oliveta ſtercorata, veteres coloni pulſi, motique, qui ruſtico opere exercendo ſegniores erant, ſed „ de ſylva caedua actum eſt nihil „ Et iterum „ ad S. Quirici oppidum, ad nundinas „ ſum profectus, ut Catonis praecepto parerem, qui bonum Patrem familias, ſive „ villicum vendacem potius quàm emacem „ eſſe

(a) Lib. 1. Ep.

„ eſſe jubet. Dedimus operam , ut perendie „ veniat, qui vinum exportet, ac vendat „ Et alibi „ miſi ad te Pater conſolatoriam „ Epiſtolam, propediem mittam conſolatio- „ nem pecuniariam „ Earumdem rerum ſaepenumero feciſſe mentionem, cuique ejus Epiſtolarum priorem librum, iis de rebus plenum, vel leviter percurrenti, in comperto eſſe poteſt. Iis autem praediis, rebuſque curandis, licèt initio juventutis, quo tempore Joannes, ut diximus, frater natu major in rem domeſticam maximè imcumbebat, non eſſet mirificè deditus, tamen eo, immaturâ morte ſublato, iis ſedulam navavit operam. Quod quidem cum ſuadent nonnulla, quae ſupra attulimus, tum plurima, quae ex eodem priori Epiſtolarum libro liceret adiicere. Ejus autem in hanc rem ſtudium tunc maximè eluxit, cum improbus quidam, (cujus nomen, pro ſuo vel in inimicos ſtudio, ſubſtulit Operum Editor) qui, veteri malitiâ, Datos crebris jamdiu onerarat injuriis, non deſineret quotidie in Datianos fundos omne ſuum pecus agere, cujus ingreſſu etiam Praetoris Edicto & auctoritate prohibebatur;

quòdque, nullas ſuae improbitatis poenas, licèt non ſemel accuſatus, ac deprehenſus, dediſſet, promptior ad novas novaſque injurias fieret: ex cuſtodibus armentorum jam feciſſet colonos ſuos, craſſatores, alieni agri populatores, iiſque animos ad non parendum Praetori addidiſſet. Nam hinc tandem iratus, atque aegrè ferens ad Patrem, qui Senis in foro verſabatur, literas dedit (*a*), quibus eum ſtudio maximo rogat, ſceleſtiſſimo homini juberet negocium exhiberi, eumque in judicium arceſſeret „ Olim te inquit eſt falsò cri-
„ minatus, proque virili ſua inſectatus. Ho-
„ mo confidens injuriis, exlex, & omni pene
„ flagitio obnoxius. Quis ferat eum, qui,
„ cum poteſt nocet omnibus, nemini prodeſt
„ .... Fac igitur ut diem ei dicant Praeto-
„ res (*b*), & ſi inficias ibit, teſtes adhibebi-
„ mus locupletes, & per vim in agrum no-
„ ſtrum illum irruiſſe comprobabimus. Noli
„ ſinere quaeſo hominem perditiſſimum ſuis
„ facinoribus gloriari „ Avitorum praediorum, ut diligentiſſimum Patrem familias decet,

(*a*) Ep. lib. 1.

(*b*) Qui Senis nimirum agebant. Nam Pientini Praetoris edictum omnino contempſerat.

cet, ſines optimo jure bonaque ratione proferre curavit. Hac ſuper re legimus (*a*), a Cardinali Senenſi, Mariano Abbate, & Luca Sacerdote rem procurantibus, agrum planè incultum, ſibi poſteriſque contraxiſſe, eâ lege, uti poſt quinquennium vini menſura quotannis penderetur (*b*). Non defuerunt ex noſtris, qui Auguſtini Dati meminerint non ſumma profectò laude. Anonimus Decadum Senenſium auctor, Pii ſecundi Commentariorum opus (*c*) ab Anonimo itidem conſcriptum ſequutus, (*d*) dixit fuiſſe virum communi ſenſu non parum eruditum, nec in dicendo rudem, ſed judicio ſuo doctiſſimum, atque eloquentiſſimum; eo uſque, ut cum Pontifice (Pio ſecundo) ſaepe diſſerere auderet.

(*a*) Lib. prim. Epiſt. Semel & iterum hanc epiſtolam, per Editoris oſcitantiam in eodem Epiſtolarum priori libro invenies

(*b*) Authoribus venerabilibus Mariano Abbate & Luca Sacerdote, quibus mandata res erat a tua Dominatione ſolum illud olim cultum, nunc incultum prorſus atque infructuoſum contraximus, ut ego & poſteri mei illud poſſideamus, & peracto quinquennio quotannis pendemus quod illi par cenſuerunt, vini congium. Ep. ad Card. Senenſem.

(*c*) Laudatur aliquando in hoc opere Datus, tamquam Rhetor ac Philoſophus elegans & gravis, latiniſque literis imbutus.

[*d*] De Authore commentariorum Pii II. qui Gobellini nomine circumferuntur, ſatis abundè diſſeruimus in annotationibus, quas, Clementis XII. authoritate edidimus ad calcem membranacei codicis, quem fortè Gobellini ipſius manu ſcriptum conjecimus. Eſt in Corſiniana Bibliotheca ſub S. B. CC. 18.

deret. Et Orlandus Malavolta dicit, eum ſemina diſcordiarum ſparſiſſe Senenſes inter, & Pontificem ipſum: eumdem malitioſum vocat; adjicitque nonnulla quibus, uti fieri conſuevit, indoctus homo, clariſſimi viri doctrinam atque praeſtantiam circumſcribere, ac definire conatur. At ſi animum advertat lector, hujuſmodi ſcriptores malè dixiſſe non ſolùm Dato, ſed Leonardo Benevolentio, (*a*) aliiſque optimis ac praeſtantiſſimis viris; qui cum publicae tranquillitati ſtuderent, Popularium partes fovere ſummo ſtudio conſueverunt, luce ipſa meridianâ fiet clarius, a quibus animi ſenſis atque ſtudiis, illa verba, atque obtrectationes proficiſcantur. Et utinam ſapientiſſimorum Civium, Auguſtino Dato ſimilium, copia Civitas noſtra floruiſſet. Profectò peſſimorum, atque diſſidentium temeritate concidiſſet numquam; & ad praeſens quod attinet, ſub diligentiſſimo, atque optimo Principe melior, atque amplior ſtaret. Haec de Auguſtino Dato ex ejus Operibus colligere licuit. Eorumdem modò Operum

ac

(*a*) Leonardi Benevolentii laudes ſaepenumero perſequitur Datus. De iis aliquando meminimus, in Aeneae Sylvii hiſtoria.

ac lectiſſimae ejus literariae haereditatis ordienda eſſet hiſtoria. Verùm cum clariſſimorum virorum patrimonium atque opera nulla ſint ſelectiora, ac praeclariora iis praeſtantiſſimis viris, qui cum Magiſtrum ac praeceptorem ſuum cognatione contingerent, literis quoque ab eodem partos fuiſſe accepipimus, de uno itemque altero, qui ad Auguſtinum pertinebant, quoſque ſtudio maximo ipſe ſtuduit edocere, nonnulla adjicere placuit; Sicque ab animata ejus dixerim quondam haereditate, ad eam, quae adhuc in ejus operibus vivit, noſtra aliquando feſtinabit Oratio. Auguſtini igitur Dati Filius fuit Nicolaus, paterni eloquii vel decemnis aemulator. Cum enim Auguſtinus ad auditores in, alicujus Veteris elucubrationem explanationes aggrederetur, ipſe illa adhuc tenella aetate, quemadmodum ſupradiximus, & infra non ſemel dicemus, non rarò praefationem, a Patre plerumque confectam, recitabat; & quod magis mireris, in earum una itemque altera, nonnulla ſunt verba, quae ipſius ſcriptionem haud dubiè ſignificant. Ad Cardinalem Senenſem, alioſque Cardinales, ac Romanae Aulae Proceres,

ceres, Mantuae praeterea, & Calabriae Regulos, frequenti inſpectante populo, non ſemel verba fecit. Hinc laudatum ſaepius diſceſſiſſe ab eis, tradidit Pater in Libro De Ordine diſcendi. Sed Calabriae Regulum ita coepit oratio, quam egregius adoleſcens de ejus laudibus in Curia Senenſi habuit, ut ingenium ſolertiam, atque praeſtantiam demiratus, ſummopere illum collaudaverit, maximoque in pretio habuerit. Quid quod parente optimo, quae erat ejus animi modeſtia, licèt intercedente, Aequeſtri dignitate eum ornavit: Stola candida ſuis ipſe manibus induit, atque inter Comites, quos vocant Palatinos, cooptavit. Comitis autem hunc titulum atque honorem ejus filiis quoque ac nepotibus fuiſſe collatum, ex nonnullis quae infra aſſeremus, non ſubobſcurè conjecimus. A Luſitano (a) quoque Rege lectiſſimum adoleſcentem magnis fuiſſe auctum muneribus, atque honoribus, refert idem doctiſſimus Pater in eodem Libro De Ordine diſcendi; ſed qua ratione, quove conſilio haec contigerint eſt mihi prorſus inexploratum. Parentis deliciae fuerunt ejus virtutes, quibus

in

(a) Alphonſum Quintum fuiſſe arbitramur.

in ſpem optimam optimus Pater erigebatur. Nam bonum fuiſſe ſortitum ingenium, beneque cum eo actum non ſemel ſcriptis prodidit. Ut autem ejus in hunc Filium ſtudium lectori benevolo exhibeamus, liceat aliquod ejus teſtimonium hìc afferre, quòd rem ad vivum, ut ajunt, repraeſentat „ Video te fili „ mi, inquit optimus Genitor, literis, & cum „ in amplectenda virtute, tum in doctrina „ ab aliis diſcenda, perjucundè verſari. Ca„ rus es quòd filius, mihi carior quòd his „ exercitationibus deditus; ſed futurus lon„ gè cariſſimus, ſi in dies perſeverare ma„ gis, & incumbere ſtudiis atque inge„ nuis artibus, ac virtuti augendae perre„ xeris „ Eâ autem ratione, ad laudem capeſſendam, Nicolaum optimus Pater hortabatur, ut cum eloquentiae cupidum Adoleſcentem cognoviſſet, laudare illum eſt teſtatus; ſed ita demum laudare, ſi cum illa creſcat in dies virtus & rectè vivendi ſtudium, „ Nam ab „ eiſdem fontibus inquit eloquentia manat, „ ac virtus „ Hujus gratia Librum a Patre editum accepimus, de Ordine diſcendi; in quo optima quaeque ad juventutem, optimiſque

 lite-

literis bene inſtituendam invenias. In iis autem illud praetereundum non eſt, omnium primùm eſſe temporis ſummam planè habendam optimo adoleſcenti rationem „ Frequens inquit tua ſit exercitatio, & tempus labi „ non patiaris inane, cujus ſolius noſtra eſt „ poſſeſſio ... quotidie vide, audi, diſce ali- „ quid, ne vel dies labatur, quin novi aliquid „ nanciſcaris „ Sub Petro Ruſſio in Senenſi Academia, Philoſophiae perdiſcendae ſedulam navavit operam. Bononiam aliquando conceſſit, uti ſub celeberrimo Philoſopho, ac medicorum per ea tempora Principe Baverio Bononienſe, ac Parentis amiciſſimo, Medicae artis inſtituta capeſſeret. Hac de re adhuc ſuperſunt paternae literae, (*a*) quibus amantiſſimus Pater optimum Filium clariſſimo viro commendat; teſtaturque illius virtutis, doctrinae atque Humanitatis numquam futurum immemorem. In Romana quoque Civitate diu multùmque eſt verſatus. Publicane auctoritate, an privato conſilio, oblectationis, aut rei domeſticae augendae gratiâ, incertum planè eſt. In Patriam redux, ſi fides materno elogio habenda

(*a*) Ep. lib. 1.

benda eſt, inter primarios ſuae aetatis Philoſophos ac Medicos floruit. Senenſis Reipublicae ab Epiſtolis conſcribendis aliquandiu fuiſſe Titius, rerum Senenſium conſarcinator, memoriae prodidit. Supremum diem obiit ſuum anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, annum dum ageret alterum & quadrageſimum; elatuſque eſt in Aedem S. Auguſtini, ubi in Datorum ſepulchro jacet, hoc, in vicino pariete, conſpectiſſimo ejuſdem templi loco, curante Matre, appoſito lapide.

D. O. M.
NICOLAO DATO
AEQUITI COMITIQUE CLARISS.
QUI PATERNI ELOQUII HAERES
INTER PRIMARIOS SUAE AETATIS
PHILOSOPHOS MEDICOSQUE
FLORUIT
MARGARITA MATER
PIISS. FILIO P. B. M.
VIX. ANN. XLI.
A. D. M. D. I.

Hic ſtudio maximo, ac pertinaci labore, paternam literariam haereditatem collegit,

& in aliquibus, conſilio non ſatis prudenti uſus eſt. Quae, enim contra veritatis fidem, in Hiſtoriarum Senenſium libros admiſit, cum ſeſe dabit occaſio, aptiorque erit locus, pluribus oſtendemus. Opuſculum conſcripſit ad Hieronymum Datum celeberrimum Adoleſcentem, de iis quae ad Reipublicae Senenſis Scribam pertinent, deque eo quod hujus amanuenſes facere oporteat; & orationem de laudibus eloquentiae, ac paternae virtutis. Quarum quidem ſcriptionum abundè ſuo loco agemus. In Sigiſmundi Titii monumentis, ad annum milleſimum quingenteſimum tertium Epitaphium habetur, conſcriptum carminibus, pro tempore ſanè non inelegantibus, quibus Nicolaus noſter Ninii Philoſophi, ac Medici praeſtantiſſimi, veteriſque amici ſepulchrum ornavit. Liber floſculorum, qui noviſſimum inter paternos foetus locum tenet, dici poteſt ipſius Nicolai elucubratio non minima. Cum hac de re agemus, quae fuerat aggreſſus Auguſtinus, quaeque perfecit Nicolaus, fuſius narrabimus. Extant quoque nonnulla alia, de quibus habebimus rationem. De Laudibus Margaritae Datae optimae

mae Genitricis pollicitus eſt ſe loquuturum Nicolaus noſter, in Oratione de laudibus eloquentiae „ Nequaquam, inquit dum de lectiſſima foemina agit „ congruum judicamus hu-
„ jus inclytae Mulieris dotes & ornamenta,
„ oratione jam ad eſitum inclinata, referre; quo-
„ niam de hàc potiùs ſeparatim ac ſpeciatim
„ tractaturi, egregias ipſius virtutes & am-
„ plas laudes accomodato loco, tempori libe-
„ ro, viribus integris, reſervavimus „ Crediderim autem, morte intercoeptum Nicolaum rem minimè praeſtitiſſe; Tempus enim nec ſuperfuit edendi paternorum Operum collectionem, immo neque ipſi quidem eidemmet orationi ſupremam manum imponere potuit. Hujus Nicolai patruelis, ac Jacobi Auguſtini fratris, filius fuit Hieronymus Datus, ad quem Opuſculum de Scribae munere eſt inſcriptum. (*a*) A Puero amoenioribus literis operam dedit. Nicolao cariſſimus fuit, qui eum, uti Filium dilexit, quòdque fortaſſe maturè Pater deceſſerit, probatiſſimos mores, optimamque vivendi rationem eum docuit. Ad-

(*a*) Hieronymus Datus Nepos fuit Franciſci Patricij Cajetani Pontificis, quòd Genevera hujus filia illum natum accepimus.

Adhuc adoleſcentulus Rhetorum ſtudiis mirificè deditus, latinam orationem publicè habuit ad frequentem Senatum, cum primùm Mantuani Principis Orator eſt admiſſus. Undecimum annum agens, Latinam Hetruſcamque orationem habuit, cum Patricii generis vir Angelam Datam ſororem ſuam ſibi deſpondit. Adoleſcens quoque, in Romana Aula dum verſaretur, orationem habuit ad frequentem Purpuratorum, ac Procerum coetum, cum Joannes Lopeſius Cardinalis Capuanus Purpureo ornatus eſt Galero. Ad Rempublicam aliquando acceſſit, Magiſtratus ampliſſimos obtinuit, floruitque pluribus annis ſeculi decimi ſexti, difficillimis ſanè temporibus; cum Civium diſcordiae & Petrucciorum ambitio publicam libertatem & ſalutem, jam diſtraherent atque labefactarent. Ex Datorum gente, tractu temporis, duas familias profectas legimus. Singulae communi gentis, & familiae nomine utebantur. Comitis tantùm titulo una ab altera diſtinguebatur, propterea quòd, ut arbitror, Comitis titulo, quem Calabriae Regulum Nicolao contuliſſe accepimus, qui ab eodem Nicolao ortum ducebant,

uti

uti poterant. Haec praeclariſſimè accepimus, a ſupplici Libello, quem Majorum noſtrorum nonnulli Pridie Kalendas Novembris, anno milleſimo, quingenteſimo quinquageſimo primo, Carolo Quinto Coeſari porrexerunt. Inter plures, qui ſubſcripſerunt, habentur Comes Imperialis Datus, qui Comitis Gabrielis Dati filium ſe eſſe teſtatur; & poſt paulo legitur ſubſcriptus Scipio Datus Ambroſii filius. Ex hujus Scipionis familia prodiiſſe crediderim Auguſtinum illum Datum, qui labente ſeculo decimo ſexto juriſprudentiâ, ac dicendi facundia floruit; functuſque eſt pluribus annis eo ampliſſimo magiſtratu, qui Senenſium legibus cuſtodiendis, ſervandiſque praeeſt: A ſecretis legum noſtrates vocant. Hunc ferunt eam edidiſſe ſatis prolixam orationem, cujus initium eſt „ Deus qui Angelorum munitionibus „ quâ ſaepenumero utuntur Sacerdotes noſtri, cum Divinam opem Senenſibus conciliare ſtudent. Sed ad Datianorum operum collectionem noſtra convertatur Hiſtoria.

LI-

DE AUGUSTINO DATO

LIBER II.

PRAEFATIO.

MArgaritae Datae Auguſtini noſtri Uxoris inclytae, ac praeſtantiſſimae foeminae cohortationibus, Hieronymus Datus Nicolai fratris filius collectionem Datianorum operum a Nicolao Patruo, ad umbilicum jam perductam, typis Senenſibus edidit Simeonis Nicolai Nardi, anno milleſimo quingenteſimo tertio. Edita quidem eſt non ſemel haec collectio, ſicuti etiam plura, quae hìc continentur, non ſemel ſeorſum typis impreſſa habemus. Sed venetam imprimis editionem, quae contigit anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, omnium optimam eſſe arbitramur, caracteribus licèt elegantia, atque nitore priorem nequaquam antecellat. Prae-

Digitized by Google

ſtat etenim ſuperiori, quòd plenior ſit, ac nonnulla adiiciantur, quae in rem omnem non parum conferre videntur, quoniam initiò codicis exſtat oratio Nicolai Dati De laudibus Eloquentiae ac paternis laudibus; quam correctionibus marginalibus plenam, inextricabilibus caracteribus ac lituris confertiſſimam, abſolviſſe ac perfeciſſe ipſe Hieronymus teſtatur. Qui & adjecit, Marte ut ajunt ſuo, nuncupatoriam epiſtolam ad Joannem Piccolomineum Aragonium Archiepiſcopum Senenſem, qui biennio poſt Cardinalis fuit; ſermonis elegantia non indignam, quae in Codice precioſiſſimo principem locum obtineat. Adjecit quoque carmina quaedam Zenonis Darii Novarienſis, Joannis Antonii Saraceni, Angeli Fundii, Lancellotti Puliti (*a*) Senenſium, & Lucae Pagni Clerici Aſcianenſis, & ipſam quoque Nicolai nuncupatoriam epiſtolam, quam in fronte prioris editionis, ſi eamdem Nicolaus Patruus perfeciſſet, fuiſſe inſcri-

(*a*) Hic eſt Lancillottus ille, prudentia juris conſultiſſimus, qui poſtmodum Dominicanae familiae nomen dedit, ac plurima, quae ad rem Theologicam pertinent, in literariam Rempublicam intulit. Horum operum eorumque auctoris, qui Ambroſii Catharini nomen apud Dominicanos obtinuit, hiſtoriam in noſtra Bibliotheca confecimus. At non pauca de eodem in Dominicanorum Bibliotheca habes, quam noviſſimè ſextum ab hinc annum duo eruditiſſimi ejuſdem Ordinis Monachi in Galliis ediderunt.

ſcribendam credimus. Initiò praeterea prioris Libri Orationum alteram inſeruit orationem Titi Sutrini de vita & laudibus Auguſtini Dati, quam habuit, cum ejus mortis annua dies ab amicis, atque cognatis recoleretur. Sed ad ipſius Auguſtini opera. Ea omnia ſeu integra, ſeu mutila latinè conſcripta ſunt. Ex concionibus tamen ad populum nonnullae extant, quas Latinè antea exaratas, Italicè, uti eas multitudinis ac muliercularum auribus accomodaret, vel iterum eſt orditus, vel eorum ſummam, & dixerim breviarium, vulgari ſermone recitavit. Nulla temporum argumentorum, atque occaſionum ſervata ratione, collegit omnia Nicolaus filius; qui argumentum in cujuſcumque ſcriptionis initio, ſi Epiſtolas excipias, inſcripſit; & nonnulla adjecit, quae vel ad ſe ipſum, vel ad Franciſcum Lutium pertinebant. Opus omne chartae complectuntur ferè trecentae, in folio, ſatis anguſtis marginibus; caracteres autem atque lineae ſunt admodum prolixae. Collectionem omnem a Libris de Animi immortalitate, quos omnium poſtremos edidit, orditus eſt Nicolaus. De iis itaque nunc omnium primùm arbitramur loquendum.

De Libris, quos inſcripſit de Animi immortalitate.

QUinque & viginti chartae rem omnem conſequuntur. Cum plures per ea tempora viri, Pomponacianae haereſeos, ut arbitror, fortè ſectatores, (*a*) pecudum more, ventri obedientes, ac blandienti Veneri imprimis pròrſus mancipati, animos hominum, quemadmodum Corvi ac Cornices, mortales eſſe ſuaderent: humanaeque nobilitatis gloriam labefactarent, ac planè delerent, contra hujuſmodi impios, qui magnam feneſtram humano generi, ad peſſima quaeque audenda ac perpetranda aperiebant, inſtituit Datus de Animae perpetuitate ita diſſerere, uti & boni ſapientes atque eruditi in ſua ſententia permanerent, & ſtulti ac flagitioſi homines, pravae ac contortae opinionis errore decepti, liberarentur. Opus itaque eſt aggre-

(*a*) Pomponacianae inquàm, nam neminem puto inficias iturum, quo tempore haec ſcribebat Datus, Pomponacium ſomnia ſua ac deliramenta evomuiſſe. Cum enim certum ſit anno, ſequentis ſeculi, duodecimo, tertium dum ageret & ſexageſimum, vaferrimum illum hominè obiiſſe, praeclarè hinc conſtat, triceſimo ferè aetatis ſuae anno, aut opus ſuum de Fato confeciſſe, vel ſaltem ejus ſemina ac placita animis inſperſiſſe amicorum, auritoque popello deliramenta ſua venditaſſe.

aggreſſus „ de Animi immortalitate „ quod quidem contigit anno Aerae vulgaris milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo ; cum ſcilicet teterrima peſte in Senenſi populo craſſante, & ipſe fuit ereptus. Propterea nulla ex parte integrum reliquit laborem ſuum, imperfectum planè atque mutilum ; horum etenim decem Librorum ſolus tertius videtur integer. Secundi, quarti, ſexti, ſeptimi, & noni vix initia leguntur. Ad prioris integritatem dimidium ferè reor deeſſe ; & octavi demum, & omnium poſtremi partem maximam ſupereſſe arbitramur. Principiò totius operis legimus praefationem; eſtque veluti proluſio ad priorem librum, de operis propoſito atque Philoſophandi & argumentandi methodo : non ineleganti profectò ſtilo ac penè oratorio conſcriptam, ubi fusè admodum de humanae naturae dignitate diſſeritur. Argumenta petit Auguſtinus Datus a ſimilitudine cum Dei natura, ab ejus facultatibus, quae Sanctae Trinitatis ſimulacrum eſſe videntur: quod ſicuti ex Deo omnia, ita & ad ipſum quoque, perinde atque ad finem omnium extremumque bonorum, ut Stoicorum erat ſenten-

ten-

tentia, omnia ſpectent, omniumque ut ſentit Ariſtoteles, eſſe hominum finem; unuſque praeterea homo virtutem colere, ac conſequi, aeternaeque felicitatis bonum adipiſci poſſit. Horum plura nedum ex Moſis teſtimoniis, ſed Cleantis, Platonis, Socratis, Pithagorae aliorumque veterum comprobari: Chriſtianorum quoque accedere monumenta, Pauli nimirum, Dionyſii (*a*), Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Gregorii, aliorumque; quorum, cum propter eximiam atque exquiſitam doctrinam, tum propter vitae innocentiam, ratio non levis habenda videtur. At quod Deus filium ſuum miſerit, ſimilemque omnino hominibus fecerit, maximam humano generi honoris acceſſionem peperiſſe teſtatur. Iis de cauſis motus Auguſtinus ad rem venit. Ipſum non latuiſſe fatetur plures ſumma auctoritate viros, graviſſimoſque philoſophos eadem de re ſcripſiſſe. Verùm cum falſa & lubrica ſuorum operum fundamenta jeciſſe videantur, & alii ita obſcurè loquuti fuerint, ut proferri in lucem nequeant, iccirco eorum omnium placita par-

(*a*) Communem per id tempus errorem in operibus, quae S. Dionyſij nomine circumferuntur, perpetuò ſequutus eſt Datus.

parvi facienda arbitrabatur. Nam S. Aurelius Auguſtinus, cum de Animae immortalitate ſcripſit, profiteri non dubitavit maximam eſſe ac pene omnium difficillimam hujuſce rei inveſtigationem; & Plato plura de animis tradidit, quae a recta ratione ſatis abhorrent. Quo circa, alia methodo rem ſibi ineundam fatetur; nimirum quod cum hujus cauſae firma ſtabilia & ſolidae rationis conſentanea argumenta afferri minimè poſſint, niſi ab iis proficiſcantur fontibus, in quos, non malè philoſophantium vanitas, ſed Sanctarum Scripturarum, ſacrarumque inſtitutionum ſimplex veritas derivaverit, dum Chriſtianorum virorum, veraeque ſapientiae praeceptorum, argumentis utitur, nequaquam ſeſe praetermiſſurum teſtatur, ſi quid, hac ipſa de re, approbatione dignum Philoſophi accuratìus prodiderint.

Priorem itaque aggreditur librum, ubi de Ortu & Origine animae potiſſimum agitur. Tres veterum ea ſuper re afferuntur ſententiae. Nam fuerunt, qui ſemper animas extitiſſe, plures verò, qui ex aliquo eaſdem gigni, plurimoſque, qui ex nihilo creari, &

prin-

Digitized by Google

principium cum corpore habere arbitrarentur. Omnium ferè philoſophorum, qui priorem itemque alteram ſententiam ſectabantur, eorumque de hoc negocio haereſum dogmata, proponit potius, quàm refellat. Ad Chriſtianorum auctoritatem poſtmodum venit. Sed vix, ac ne vix quidem, unius Lactantii dicta ſatis expendiſſe comperimus, cum deſint coetera omnia, quae ad Chriſtianorum monumentis repetenda locuplétiſſimè videbantur.

Ex altero libro ſolus ſupereſt Prologus; ex quo conſequi tantùm licuit, Auguſtinum Datum fuiſſe ab utriuſque foederis monumentis & Sanctorum Patrum ſcriptis comprobaturum animam interire non poſſe. Quoquo modo id perfeciſſet, plura ſanè, quae hìc habentur, totius Philoſophiae Datum fuiſſe conſultiſſimum produnt.

In tertio, qui ſolus, quemadmodum diximus, videtur integer ab Alberti Magni, monumentis animorum immortalitatem ſuadere conatur. Per omnes ejus libros excurrit: Alpharabii, Averrois, Avicennae, Abubacherii, Abempecis, Coſtabellucis, Algazelis,

zelis, aliorumque Arabum, quae fortè ab Alberti operibus acceperat, dicta ac placita, cum veteribus confert.

Ex eo qui ſequitur, ſolus ſupereſt prologus, qui totus eſt in S. Thomae Aquinatis laudes, quòd nimirum ejuſdem S. Scriptoris argumentis rem erat oſtenſurus.

Libro quinto Franciſcus Maironius, Alexander Alenſis, Nicolaus Lyra, Joannes Scotus, Petrus Aureolus, & Sancti imprimis Bonaventura, ac Bernardinus Senenſis, in prolixa admodum praefatione, laudantur, quòd eorum teſtimoniis ſtudio maximo in eodem libro uti mens erat. Datus enim, quemadmodum callidiſſimi Oratores facere conſueverunt, priùſquam praeſtantiſſimorum virorum monumenta proponat, de eorum laudibus atque auctoritate fuſiſſimè agit; eo conſilio ut ex eorum foetibus, tamquam ex puriſſimis ac probatiſſimis fontibus, ſolida ac certiſſima argumenta deprompta videantur.

Ad Socratis Platoniſque ſententiam, meliori profectò, ut infra videbimus, conſilio in ſequenti libro venit Datus. Sed cum ſolùm prologum ſcripſerit Author, eorum clariſſi-

riſſimorum virorum laudes ſolùm in eo legere licuit.

Quod quidem in prologo ſeptimi libri etiam de Ariſtotele habemus; cujus placita, & quidquid „ in activa & contemplativa „ philoſophiae parte, de anima deque ejus „ immortalitate ſaepe, & multa „ tradiderat ipſum fuiſſe in hunc, ſi ſcripſiſſet librum illaturum conjicimus. Nonnullos tamquam Ariſtotelis laudat libros, quos non ipſum ſcripſiſſe, Franciſcus Patricius noſter Senenſis, quem Patricium Juniorem appellare ſoleò, ſeculo poſt pluribus docuit.

Ad Ciceronis ſenſa octavum ſcripturus librum confugit; iccirco tanta de ejus laudibus, ſeu recto judicio, ſeu in eum ſtudio ductus, ſatis prolixè in prologo tradidit, ut vix credibilia dixiſſe videatur. Nam coeteris omnibus, dum naturae lumina eſt perſequutus, illum longè praeſtitiſſe, nec ſolùm eloquentiae laude, ſed maxima rerum eruditione floruiſſe teſtatur. Eòque devenit in Ciceronis perſequendis laudibus, ut in illo naturam vires ſuas ſummamque poteſtatem fuiſſe expertam arbitraretur. Quod quidem non

non optimo ſanè judicio ; cum Chriſtianis, & Graecis & Latinis non defuerint Didimi, Origenes, Chryſoſtomi, Baſilii, Hieronymi, Auguſtini, aliique quamplurimi, in quos naturam nervos intendiſſe ſuos nemo inficiabitur. Hunc itaque librum, cujus pars maxima ſupereſt, a Tuſculanis diſputationibus orditur ; quaeque ejus cum ad rem Theologicam, tum ad Philoſophicam pertinent, opera, quaeque ex eis in rem ſuam conferunt ſatis expendit. Hominis immortalitatem non parum ex eo comprobari putat, quòd quique de futuris rebus ſollicitiſſimi, quòdque viri longè praeſtantiſſimi pro Patriae felicitate, proque Republica aliiſque virtutibus ultro mortem ſubierint. Sed illud Pomponacianae haereſeos ſectatores, ſi fortè cum iis Dato erat negocium, tamquam a gerularum ſomniis ac deliramentis, tenellis puerorum mentibus inditum, hoc optimorum parentum conſiliis ac ſuaſionibus partum irriderent.

Sequentem librum, quantùm ex iis, quae ad calcem habentur, conjecturam facimus, non aliud eſſe arbitramur, quàm praefationem omnium poſtremi libri ; ubi a poe-

tarum aliorumque veterum monumentis, ſuadere vult Datus, veteres malis hominibus poſt mortem aerumnas, ac optimis quibuſque Beatas Sedes tribuiſſe. Satis fusè itaque praefatur in hoc loco, quem fortè per oſcitantiam nonum librum Nicolaus filius appellavit, deque poetarum authoritate atque doctrina non parum hìc diſſeritur. De eorum fabulis non parvam judicat habendam eſſe rationem; dummodo ex iis non ſint, quae obſcoenis illecebris imperitae multitudinis auribus blandiuntur, & ſtultorum animos turpi, ac perniciosa ſuavitate deliniant; ſed naturae miſteria prodant, rerumque latentes cauſas; quemadmodum iis uſi ſunt Empedocles atque Lucretius, deque religione agant, Sacrorumque caeremoniis, a quibus Heſiodus non abhorruit.

Decimum ergo Librum aggreditur, in quo de Inferis deque triplici Inferorum ratione, Inferni fluviis, atque Judicibus, penis malorum, ac domicilio Beatorum fuſiſſimè agitur. Conſilium fuit Dato propoſitum perſequi ſuum, cum veterum Ethnicorum monumentis, tum Chriſtianorum placitis. Illud

pro

pro ſua virtute perfecit, hoc, ſi vera ſunt, quae non ſemel editor Nicolaus prodidit, dum erat aggreſſus, praeſtare ſtudio maximo contendebat, morte interceptus conficere haud potuit.

Itaque omnium primùm in eos invehit atque imprimis in Servium Grammaticum atque Lucretium, qui cum Inferorum regna eſſe & eſſe poſſe inficiantur, tum rem anilem, ac deliramentum, hebetiorumque ingeniis injectam formidinem dictitarunt. Veterum deinde hac de re ſenſa proponit. Nam quidam, ex veteribus fuerunt, & Macrobius imprimis, qui ſacrarum Caeremoniarum teſtimoniis, corpora ipſa animabus ſepulchrum & Inferos eſſe, carceremque foedum, ſordibus ac cruore ſqualli-diſſimum ſuaderent. Plures, in iiſque Platonicorum nonnulli, Inferos eſſe crediderunt locum elementorum, quae mutationi obnoxia ſunt; ubi flagitiorum conſcientia torquet, amor urget habendi, inconſtantiae levitas perdit, obſcoenarum voluptatum cupido reſpirare non ſinit, & miſerrimus honorum, bonorumque contemptus premit. Plurimi tandem, iique praeſtantiſſimi viri, ſub terra Inferorum

regna

regna, & ſupplicium malis parata tradiderunt. Horum aſſerturus ſententiam Platonis locum principiò affert, ex quo non ſolùm malorum animas ad Inferos proficiſci, ſed & bonos ad Superum ſedes, & ad alta contendere, atque, quem Chriſtiani dicimus, *Purgatorium* non ſubobſcurè Platonem crediſſe conjicimus. Inter haec plura afferuntur, quae Homerus cecinit: eadem cum Platonis ſenſis confert, mirificèque iis reſpondere oſtendit. Tum alios Platonis locos expendit, & in Gorgia imprimis atque in Axioco, eoſdemque in ſuam ſententiam maximè conferre ſuadet. Locus quoque Marci Varronis proponitur ex Pacuvii Andromaca, & Catonis majoris verba, quibus Caeſarem frequenti Senatu, fortè per jocum dicentem, poſt mortem neque curae neque gaudio locum eſſe, refellit. Ad Mercurium ſeu Triſmegiſtum, Orpheum, Magos Perſas, Zoroaſtrum alioſque, & ad eorum quae venditantur monumenta venit. Ciceronis verba ſaepenumero iis inſerit; adjicitque hunc Romanae Eloquentiae principem, licèt florente juventute Inferorum regnum fuerit infiçiatus, aetate tamen maturâ dum Mar-

cum

cum Antonium toto pectore exagitavit Inferos affirmare non dubitaſſe. Sed, ut mea eſt ſententia, non rectè quidem ac ſapienter hinc intulit Datus Ciceroni jam ſeneſcenti Inferorum opinionem arriſiſſe; cum ad multitudinem pro concione Orationes in Marcum Antonium haberentur; eaque adhibenda eſſent argumenta, quae cum vulgi more probabilia viderentur, tum quoquo modo in rem ac propoſitum conferrent. Lucani poſtremò, Senecae, Maronis aliorumque teſtimonia in hanc rem afferuntur; & tandem plura adhibet de Diis bonis ac malis, deque nonnullis, quae ex Euſebii Praeparatione Evangelica exſcripſit, quibuſque Inferorum regnum eſſe planè comprobatur. His abſolutis ad Inferorum fluvios tranſit, quot nimirum ſint, quave ratione ſeſe apud Inferos habeant. Ciceronem Cocytum,& Acherontem enumeraſſe teſtatur: Macrobium & Maronem Lethem, Flegetontem, Acherontem Cocytum, & Stygem: Platonem plures, ſed quatuor imprimis nimirum Oceanum, Acherontem, Flegetontem, & Tartarum, quod & Cocytum appellant poetae; additque paludes Acheruſiam & Stygem. Sub haec modum atque

que rationem exponit, quibus ſecundùm Platonem in Barathro, quod Tartarum quidam vocant, (eſtque altiſſimus terrae hiatus atque inanitas maxima) hujuſmodi flumina fluere, confluere, atque affluere veteribus videbantur. Tum ad Inferorum Judices venit, multaque habet de Minoe, Eacho, & Radamantho; quos, uti eorum authoritas atque judicii praeſtantia ſumma eſſet, Jovis Optimi Maximi filios fuiſſe aurito popello veteres ſuadebant. Quae omnia ait Datus, licèt fabuloſa ſint, nihilominus non ſinè cauſa commenta fuerunt, nimirum ut intelligerent homines Deum diligentiſſimam habere bonorum atque impiorum rationem. Tranſit poſtmodum ad conſtitutas poenas; qua occaſione plura legere libet de Tantalis, Siſiphis, nec non de aerumnis perpetuiſque calamitatibus, ex Platone, Cicerone, Macrobio, Statio, Virgilio, Silio Italico, Ovidio, Lucano, Seneca, & Juvenale, quorum textus atque infinita propemodum, hac ſuper re, carmina, hìc collecta habes.

De neceſſitate deinde agit, qua malis poenas, boniſque praemia decreta eſſe veteres arbi-

arbitrabantur : Conſcientiam malefactorum ; quam Synderesim Miſtae Chriſtiani vocant , non ſatis putaſſe veteres oſtendit , ut ſcelera coercerent . Hìc autem plura fuiſſe adjecturum Datum conjicimus , quòd Nicolaus filius in Autographo Auguſtinum ſuum „ plurium „ linearum reliquiſſe ſpatium„ adinveniſſe teſtatur. Poenas ac praemia ſinè ulla prorſus intermiſſione duratura , ex veterum monumentis conatur ſuadere , ſed ratiunculis utitur , quae non facilè quibuſque probarentur . Aliam initurus , quam conſtituerat , viam ac methodum , actae diſputationis vela contrahit , teſtaturque pluribus , iiſque probabilibus argumentis , non eſſe humani ingenii atque eloquentiae , haec omnia noviſſe , ut revera ſunt , quaque ratione rerum omnium moderator eadem conſtituit ; proinde ad Sacrarum Literarum puriſſimos latices , ac cum vitae Sanctitate , tum doctrina praeſtantes viros eundum , uti ex eorum penu optima quaeque in hanc rem conferunt , promeret ; iiſque veluti lectiſſimis monumentis , diſputationi ſupremam manum imponeret . Sed, quemadmodum ſupradiximus , ubi rem eſt aggreſſus , teterrimâ ſaeviente

O peſte ,

peſte, & ipſe communem civium ſuorum calamitatem expertus, rem intermiſit.

Totum hoc de animi immortalitate opus non optimo judicio ſuſcepit Datus noſter. Illis etenim, qui negocium cum Pomponacianis, aliiſque hujuſmodi impietatis viris habent, ſicut quàm maximè proſunt veterum placita, probabileſque rationes, ex ampliſſimo Philoſophiae ac meditationis penu depromptae, atque argumenta ex ipſa rerum neceſſitate, ex dignitate humani generis atque praeſtantia, ex periculis, conſiliis, caſibuſque petita; ita contra inutilibus omnino infirmiſque tales in hoſtes utuntur armis, cum ad Sanctum Auguſtinum atque ad Albertum, quem Magnum vocant, S. Thomam, Bonaventuram, ac Bernardinum Senenſem alioſque Sanctos Scriptores confugiunt, qui licèt Eccleſiae Catholicae probatiſſimi ſint, ac verae ſanaeque doctrinae aſſertores, non tamen ejus generis ſunt, ut eorum ſenſa adhibere poſſimus, cum animus eſt refellere ac confutare Pomponacianos alioſque, qui eorum declinant authoritatem, eoſdemque pro deridiculo habent, ac planè contemnunt, Datus certè no-

ſter

ſter veterum doctrinam de animorum immortalitate concoxerat, atque in hunc intulit opus; eò uſque ut poetarum praeſertim ſententiis poſtremus liber refertiſſimus videatur. Sed cum in ſuorum librorum initio, placita nunc Sancti Thomae, nunc Alberti, modò hujus quandoque illius explicare polliceatur; ad Joannem Scotum praeterea confugiat, Aleſium, Petrum Aureolum, S. Bernardinum, Franciſcum Maironem, Jamdunum, alioſque Arabum ſectatores, quorum volumina tum potiſſimum in Scholis terebantur, facili negocio propoſitum ſuum parum aſſequi voluiſſe, iis, qui haec fortè legent oſtendit. Maximae partis jacturam librorum ſexti & octavi quàm maximè dolemus, quòd in illo Socratis, Platoniſque ſententiam, in hoc verò Tullianam explicare erat aggreſſus. Liber tertius verſatum prodit Auguſtinum noſtrum, neſcio quo Reipublicae bono, in Arabum ac barbarorum doctrinis, quibus cumulati erant ejus aetatis doctiſſimi quique; quorumque ſcientia, quantùm ego judicare poſſum, ſatis perridicula, ne dicam nebuloſa ac caliginoſa erat. Quam quidem rem, ſicut

omnem, quâ in his decem libris eſt uſus, philoſophandi methodum, temporum vitio ut diximus tribuendam eſſe arbitror: aetates enim, ut perſpectiſſimum eſt, tulerunt ſingulae ſingula planè philoſophandi genera. Qualecumque tamen opus ſit, antiquitatem certè omnem, philoſophorum ac poetarum doctrinam tenuiſſe, ex iis quae ſcripſit, Datum noſtrum apparet. Eorum, quae ſuperſunt dimidiam ferè partem poſtremus liber abſorbet. Nulli hos libros inſcripſit, ſi quartum, excipias, quem ad Franciſcum Ninium Philoſophiae ac medicinae gloria praeſtantiſſimum edidit. Horum ſingulos ſeorſum conſcribere conſtituiſſe conjecimus; rem verò praeſtare non potuiſſe, ex iis quae ſuperſunt, non ſubobſcurè teſtari videtur Nicolaus filius; qui ad calcem horum librorum, patrem peſtilentiae morbo interceptum, opus intermiſiſſe ſuum ferè ſemper animadvertit.

Digitized by Google

DE ORATIONUM LIBRIS

De orationum primo libro.

QUinquaginta & unam hic liber ſcriptiones complectitur, quas orationes, ſive author, ſeu Nicolaus collector appellavit. Earum quaedam minimè integrae ſunt: Septem priores verae orationis laudem merentur, quòd nimirum ſunt ſermones ad perſuadendum, authoremque ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructum produnt. Harum argumentum eſt de laudibus Philoſophiae. Ex earum priore & tertia ſatis praeclarè conſtat habitas eſſe, uti majores noſtri conſueverunt, die feſto Sancti Lucae, in ſolemni anniverſaria ſtudiorum inſtauratione ad S. P. Q. S. Academiae Profeſſores, atque ad lectiſſimam juventutem; quae, ut in una itemque altera harum orationum legitur, non ſolùm ex Civitate noſtra erat, ſed ex univerſa Italia, atque Sicilia, imo ex Galliarum, atque Hiſpaniarum Provinciis, atque ex Anglorum Inſulis.

Prior,

Prior, quae non ſecus atque coeterae, placitis, ex utriuſque Philoſophiae atque Hiſtoriae ſcriniis deſumptis, refertiſſima eſt, de Sapientiae inventione, ejuſque partium laudibus agit. In priori parte de Mercurio plurima referuntur, Muſaeo, Lino, Zamolxe, Orpheo, Ocho, Prometheo, Atlante, Abari, Anacarxi, Zoroaſtro, Perſarum Magis, Druidis, Gymnoſophiſtis & Moſis imprimis, qui apud varias gentes rerum plurium ac ſcientiarum inventores fuerunt, naturaeque arcana atque miſteria declararunt. Tum ad Sapientiae laudes venit, omnium artium procreatricem quamdam & quaſi parentem eſſe, ipſamque humanitatem ab eadem profectam, perque eam omne arceri malum, omneque bonum humano generi partum, cum probabilibus argumentis tum doctiſſimorum virorum auctoritate pluribus teſtatur. Ad alterum deinde orationis membrum tranſit, univerſamque ſapientiam in eam partitur, quae ad animorum inſtitutionem pertinet & corporum curam. Illam a Sacrorum Bibliorum, Sanctorum Patrum atque Scriptorum monumentis, quae Theologiam Chriſtiani vocamus, prudentiâ itidem

dem juris, eloquentiae artibus ac philoſophicis diſciplinis proficiſci; hanc verò ab exercitatione & medicina. Qua occaſione non ſolùm de hujuſmodi artibus ac facultatibus ſeorſum & fusè admodum agit, verùm etiam in unaquaque Syllabum habet praeſtantiſſimorum quorumque ex veteribus, qui, in aliqua ex iis de quibus egerat, maximè floruerunt. Omnem antiquitatem, exemplorumque vim Datum tenuiſſe hac oratione comprobatur.

Altera Oratione, quam quemadmodum & (*a*) ſextam ex tempore habuit, ſolùm ab optimarum literarum ſtudio mentis ſanitatem obtineri, ſolamque virtutem eſſe propter ſe expetendam, evincitur. Singula quaeque primùm percurrit, quibus ultro homines afficimur, nimirum voluptates, delicias, vires, formam, honores, inanem gloriam, & alia id genus; quae omnia ſeorſum fluxa ac planè caduca, cum ſelectiſſimis argumentis, tum veterum exemplis oſtendit. Ad virtutem deinde venit: proemium in hac vita ipſam eſſe, ſummique boni potiundi ſpem ingentem. Ad

(*a*) Meas ſtatuo partes eſſe inquit, ut quae imparato mihi, ac nec opinanti de Sapientiae ſtudio &c. Dat. lib. 1. Or. 2.

Ad eam capeſſendam auditores, laudiſque cupidos adoleſcentes poſtremò excitat, atque in majorum noſtrorum laudem tandem excurrit; quòd poſt teterrimam luem, quae clariſſimos cives deleverat, alienis ac difficillimis temporibus, opere ſummo atque conſenſu optima ſtudia reſtituerint. Ex hac potiſſimum oratione Auguſtini Dati eloquentiam, atque in dicendo praeſtantiam accepimus. Nam ſi, ut ait Cicero, (*a*) magnum quoddam eſt onus atque munus ſuſcipere, atque profiteri ſe eſſe, omnibus ſilentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum, quòd nemo ſit, quin acutius atque acrius vitia in dicente quàm rectè videat, quid de Auguſtino noſtro dicemus, qui jejunus & integer, nullo ad cogitandum ſumpto temporis ſpatio, ad orationem publicè acceſſit?

Sequitur tertia, quae ſatis longa eſt, hominemque prodit doctiſſimum; quamque habuit Datus noſter poſt annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum, annum ſextum dum ageret & viceſimum

[*a*] Lib. 1. de Oratore.

mum habetur hìc, recta ſolùm ratione ad Philoſophiam inveſtigandam, veteres fuiſſe incenſos. Humanum ingenium in ea ſola optimo jure verſari: eam unam hominem felicem reddere, Deoque Creatori ſuo jungere, & ſuo demum officio, Philoſophia neglecta, neminem fungi poſſe ſuadet. Satis prolixa neque inelegans hìc habetur terreſtrium ac coeleſtium rerum deſcriptio, & veterum plurimi enumerantur, qui quaelibet audenda, atque conanda crediderunt, uti Philoſophiam invenirent. Hebraeorum atque Graecorum teſtimoniis, Graecè & Hebraicè allatis, hìc aliquando utitur Datus, Tulliique vox, quemadmodum & in coeteris, hìc reſonare videtur.

Sequentem orationem Pio Secundo ſedente habuit, eſtque de Doctrinae excellentia ejuſque utilitate. Illam ſatis patere ex eo contendit, quòd naturâ ad eam adipiſcendam ducimur: per eam Coeleſtia atque terreſtria cogitatione complectimur: illam fortunae caſibus non eſſe obnoxiam: pleroſque, ut eam aſſequerentur, fluxa ac caduca omnia contempſiſſe. Ad utilitatem quod attinet, precioſiorem cunctis opibus eſſe, facilè ex eo comproba-

P ri,

ri, quòd in praeſentem ac futuram vitam maximè conferat, omneque hominum genus omnem ordinem, aetatem demum ac tempus deceat. Id autem, dum de ſingulis Philoſophiae partibus differit, ſatis preclarè oſtendit. Cohortaturque poſtremò cum lectiſſimam juventutem ad ejus ſtudium, tum Senenſes Cives ac Magiſtratus, ut pacis diuturnitate literarium ocium confirment, omniſque literarum generis fines atque imperium, pro viribus atque virtute, proferant.

Hanc excipit quinta oratio, in qua evincitur unum Literarum ac praeſtantium Artium ſtudium homini veram felicitatem impertiri: non voluptates, non honores, divitias, popularem famam, non corporis formam & alia hujuſmodi; de quibus ſeorſum prolixè admodum, nec ineleganter agit. Ad calcem excurrit per ſingulas Philoſophiae partes, eaſque contendit maximum bonum humano generi conferre. Excitatque Magiſtratus Senenſes uti doctiſſimos viros, ampliſſimis conſtitutis praemiis opibus atque honoribus, juventuti praeceptis atque exercitationibus inſtituendae, preficiant; eamdemque juventutem ad amplectandam

dam ſtudiorum gloriam impellant, inflamment.

Sequitur ſexta, quae poſtquàm „ terque quaterque „ eadem de re eademque occaſione diſſeruiſſet, ab eodem Dàto, imparato planè atque coacto, habita eſt. (*a*) Comprobatur hìc tribus Graecorum locis, Graecè allatis, Philoſophicam rem gravem eſſe ac ſplendidam, humanoque generi frugiferam ac ſalutarem. Ad ſingula Philoſophiae membra deſcendit, deque eorum partibus ſeorſum diſſerit; hortaturque pro conſuetudine Senenſes Magiſtratus, uti quemadmodum diximus, rem literariam ſtudio omni, omnique conatu foveant ac tueantur. Si Graecorum, quos diximus locos excipias, quae in hanc orationem intulit Datus, eadem ferè in una itemque altera orationibus, ſola verborum ac periodorum volubilitate planè mutata, legere libuit. Cumque initiò hujus ſextae orationis fuerit author teſtatus, ſe ipſum imparatum ac ferè coactum dicere & „ quae in variis multarum rerum

 „ tem-

(*a*) Coegerunt me ad hanc dicendi provinciam, ac invitum quodammodo, ac djutius reluctantem compulerunt ... quamobrem imparatum me dicere oportet, non quia id agere melius ſit, ſed quoniam recuſare eſt difficile. Oratione 6. lib. 1.

„ tempeſtatibus repentina quaedam ſuggeſ-
„ ſerit commentatio, majora forſan expectan-
„ tibus impolita, nec ſatis exculta oratione
„ percurrere „ hinc ex iis, quae poſtmodum dixit, accepimus hanc orationem, cum ſermonis elegantia, tum rerum delectu atque oeconomia, non ejus rationis eſſe voluiſſe, ut ex ipſa, ejus in re oratoria, virtutem atque praeſtantiam haberemus.

Has excipit poſtrema de Philoſophiae laudibus oratio, quam Magiſtratuum juſſu rure, ubi per aetatem jam ingraveſcentem, ocio indulgebat, accerſitus habuit; oſtenditurque hìc brevi veterum dictis, natos nos eſſe ad exquirendam veritatem, naturaque nos capi ad ejus adeptionem. Plura habet ad calcem, ut Magiſtratus ac Cives ad Artium ac Literarum tutelam excitaret.

Viri eloquentiam, ſcientiarum doctrinam, vocem ipſam Tullianam reſonantem audire & comprobare quiſque poteſt, ſi has orationes libeat percurrere. Ferè ſemper initiò earum, animos qui audirent conciliat: rem deinde demonſtrare conatur; tum quae contradicerentur refellit: auget poſtea, quae pro ſe faciunt,

faciunt , quaeque in adverſariorum rationem ſunt, ad extremum infirmat . Ex rerum cognitione hìc efflorefcit oratio: ſaepe numero redundat , nihilque , ſi ea quae ex Scholaſticorum fontibus deprompſerat excipias, ſubeſt inanis eloquutionis, atque puerilis commentationis . Ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructum acceſſiſſe Datum hìc intelleximus. Quiſque ingenii mediocris licèt ſit, rerum dignitatem , ſententiarum ac verborum delectum, oratoriae antiquitatis delicias ſpectare poterit; & quod vel maximum eſt , ſatis aptè pernoſcet , quanto eloquentiae ſtudioſis adiumento ſit, lautam, magnam , ac lectiſſimam eruditionis ſupellectilem, longâ ac diuturnâ veterum Scriptorum lectione ſibi comparaſſe .

Sequitur invectiva Oratio ad Antonium Comitem . Delirus quidam Urbinas, ſed educatus Nurſiae, aetate ſenex, ſed mente imbecillus, cum Urbini in magna eruditorum corona, plurima futilia atque inania, ad ſuum conſuetum in quotidianis ſermonibus ingenium , dixiſſet ; & imprimis Regem ſive. Principem dedecere in rerum ſtudio ac contemplatione

ver-

verſari; quaeque ad rem literariam ac philoſophicam pertinent, ocioſis ac perditis hominibus eſſe relinquenda. Stomachari equidem tùm primùm Datus, qui confabulationi fortè intererat, doloriſque plurimùm coepit. Multos fortaſſe deliros ſenes viderat; ſed qui magis quàm Urbinas iſte deliraret, vidiſſe credo neminem. Verùm quae erat hominis modeſtia, ac temperantia, ob loci dignitatem nullum verbum interloqui eſt auſus, ne quid iratus atque aegrè ferens, contumelioſè vel inurbanè loquutus fortaſſe videretur. Quo circa cum quòd nihil contra dixiſſet, ſilentio ipſo quemadmodum dicunt, rem affirmaſſe videretur, tum uti tam exitialem humano generi opinionem refelleret, nebuloniſque audaciam retunderet, invectivam orationem per noctem ad Antonium quemdam Comitem inſcripſit; in qua hujuſmodi deliramenta, indoctique animi ſenſa patefacere conatur. A rei hiſtoria ſeniſque impudentia orationem orditur; hominemque primùm veluti ante oculos ſtatuit. Tum ad rem venit. Hominem, literarum ſtudio neglecto, cum ratione tum veterum teſtimoniis Phidiae veluti ſimulacrum & marmoreum quod-

quodammodo caput eſſe oſtendit. Deinde qua ratione homines feris ac belluis praeſtant, Reges & Principes coeteris hominibus antecellere oportere: ſinè rerum prudentia, quae vera Sapientia eſt, non rectè adminiſtrari poſſe Rempublicam: hac ratione fuiſſe auctum, ſtetiſſeque Romanum Imperium, & Macedonam Alexandrum maximi Imperii fines protuliſſe: at contra Dionyſium Juniorem Platonis, & Sophiſtarum inſtituta aſpernantem, a Dione principatu ejectum. Sub haec Heſiodi locum cum Graecè tum Latinè affert: Syncronorum Principum quàm plures enumerat; in iiſque Fridericum Auſtrium Imperatorem, Alphonſum Aragonium Neapolitanorum Regem, Oddonem Antonium ac Fridericum Feltrios, quos tunc erudiebat, Philippum Mariam Vicecomitem, & Leonellum Ateſtinum, qui rei literariae ſedulam navarant operam; eamdemque & ſtudio, & ampliſſimis praemiis, non ſinè ſummo quibus praeerant foenore ornarunt. Hoc tantorum Principum, in re literaria ſtudium atque ingenium, ubi hac tempeſtate invenias? Optimo jure delirum Senem altum, & educatum Nurſiae,

quae

quae quondam Sapientum expultrix fuit. Tandem ex re, & ex tempore ſumpta occaſione, Principes ac Reges ad literarum ſtudium cohortando, finem dicendi facit. Hanc orationem jure meritoque Invectivam appellat Nicolaus filius, quòd Philippicarum mordaces ſales non ſemel hìc habeantur.

Haec excipiunt duodecim, quas dixerim proluſiones. Earum quinque vel ſex verae concinnae ornataeque ſunt orationes. Conſcriptae habitaeque ſunt, cum primùm veterum quemdam librum vel diſciplinam aliquam explanare incepit. Quam habuit, cum ad Auditores Ciceronis libros de natura Deorum explicare ſuſcepit, ad Dominicum Biliottum inſcripſit Canonicum Senenſem, atque adoleſcentem praeſtantiſſimum. Ibique optima ſanè methodo atque ratione, eorum trium librorum, veluti quaedam compendiaria expoſitio habetur. Docti ab indoctis, qua ratione differant oſtendit, per varia hominum ſtudia, quae fluxa planè ſunt, excurrit; ſoliuſque Sapientiae fructus ſuaviſſimos eſſe contendit. Epicureorum ac Stoicorum placita afferuntur, ac totius operis ac propoſiti partitio, optima ratione, praemittitur. Sa-

Satis ſpectata eſt, quam habuit in Maronis Georgicon de laudibus Agriculturae. In hac poſtquàm multa diſſeruit de ſingulis, quas homines exercent, artibus, quibus opes ac divitiae cumulentur, ad agrorum culturam venit. De ejus optimo authore Deo, deque ejus vetuſtate, honeſtate, voluptate, utilitate, ac dignitate, cum probabilibus argumentis, tum veterum exemplis plurimùm loquitur. Habes hìc ſatis prolixam clarorum virorum enumerationem, cum ex veteribus, tum ex recentioribus, qui rem ruſticam carminibus, ſeu ſoluta oratione ſunt proſequuti.

Longa admodum, copioſiſſima, atque ornatiſſima oratio eſt, quam praemiſit cum S. Hieronymi in Jovinianum expoſiturus eſſet libros. Principiò ſatis fusè oſtendit Sacrarum Literarum, ac Divinarum rerum ſtudium cum nobilitate, tum utilitate omnino praeſtare coeteris, ampliſſima licèt ſint ac praeſtantiſſima. Tum ad Joviniani praecipuos errores venit, nimirum de Virginitate quae Conjugio ac Viduitati praeferatur: de Baptizatis, qui a Diabolo tentari nequeant, ſique tenten-

tur aqua & non ſpiritu fuiſſe baptizatos: de jejunio & ciborum abſtinentia, quae virtutem non pariat & praemia: de Beata tandem Felicitate, quae unam eamdemque eſſe in Coelo omnibus contenderet. His omnibus in ipſa praefatione Chriſti ac Sanctorum teſtimonia opponit. Hieronymi ipſius ac Joviniani nonnulla affert. Hieronymiani operis ſumma capita ac partitionem recenſet, non nulla adjiciens de utriuſque ſtilo atque operis praeſtantia. Hieronymi ingenium ſequitur Datus noſter; cui, de veritate omnium, quae ille, pro ſuo in haereſes odio, acri ac mordaci ſtilo in Jovinianum protulit, nec levis quidem ſubiit ſuſpicio.

Sequitur commentarium in Marci Tullii Tuſculanas quaeſtiones, quod teſte Nicolao filio publicè ad Auditores habuit. Qua autem ratione lectiſſimum hunc paternae ac literariae haereditatis foetum in Orationum Libro collocaverit, ignoramus omnino, cum nihil prorſus orationis, ſed veri Commentarii in illud Ciceronis opus, pauca quae ſuperſunt redolere videantur. Pauca inquam, nam vix prioris Libri exordium, duodecimamque illius partem, quae extant complectuntur. Quoniam coetera

adjicit

adjicit ad calcem Nicolaus editor „ Subrepta „ atque deperdita ſunt „ quo nimirum tempore, ut arbitror, Datus ſupremum diem obiit. Teterrima etenim ſaeviente peſte, non ſolùm clarorum virorum ſcriptiones, ſed quod magis in multitudine mireris, aurum ipſum uniones, ac precioſiſſima omnia, quae vel priſcae ſeveritatis cultoribus, ipſiſque ſapientibus cariſſima ſunt, pereunt. Sed ad rem. Prius quàm opus aggrediatur ſuum Datus, ſatis prolixam de univerſa Philoſophia, ejuſque partibus, Sectis, earumque Principibus expoſitionem habet. Tum ad eam Philoſophiam venit, quae mores atque vitae inſtituta complexa eſt; quamque his Tuſculanarum quaeſtionum Libris Cicero eſt perſequutus. Pollicetur que Datus Commentatoris officio functurum, nimirum non ut quid ipſe ſentiat, ſed quod Cicero excogitaverit, exponat „ hac tamen le- „ ge, ut ſi quid adverſus Catholicae Fidei ve- „ ritatem uſpiam fuerit, id liceat improbare „ Principiò de operis inſcriptione agit. Qua occaſione plura, eademque optima, afferuntur de Cicerone & Bruto, eorum genere, ordine, atque hiſtoria; quaeriturque an potius diſputa-

tiones, quàm quaeſtiones hujuſmodi Ciceronis Libri dici debeant. Tum Librorum quorumque argumentum, propoſitum, oeconomia, authoriſque in eis conſilium proponuntur. Prioris inchoaturus expoſitionem, conſcripti operis occaſio affertur; Nimirum cum Caeſar rerum potiretur, a judiciis, foro, & a Republica remotum, in Tuſculano feriantem, & ocioſum Ciceronem ad Philoſophiam animum adiunxiſſe: hiſce rerum ſcriptionibus ac contemplationibus, in deletae libertatis ſolatium, dediſſe operam, ac vetera ſtudia revocaſſe. Deinde veteres Latinos cum Graecis confert. Multa de utriuſque Gentis ingenio, conſiliis, ac moribus habentur collecta, & notatu digniſſima. Ad Poëticam poſtmodum venit, ſerò nimium cognitam, ſeriùſque a Romanis receptam. Sub haec, quo tempore, Homerus, Heſiodus, Archilochus, Livius, Ennius, Plautus, Naevius apud Romanos floruerint accuratè ſatis perpendit. De Fabio Pictore plura habet ac de Pictura, qua Etruſci mirum in modum praeſtiterunt, & in iis (neſcio a quo authore id acceperit Datus) Senenſium Civitatem omnium conſenſu principatum obtinuiſſe.

(a) Ad

(*a*) Ad Muſicam venit, ejuſque veteres cultores atque ad Oratoriam, Oratorumque nonnullos, qui ante Ciceronem apud Romanos floruerunt. Sed dum in Oratoriae laudes ejuſque hiſtoriam, ad Ciceronis ingenium, vela pandit, non ſinè ſumma rei literariae jactura, Dati noſtri commentarium deficit. Haec autem omnia, quemadmodum Ciceroniani operis, Librique prioris exordium, pro iis quae ibidem leguntur, uberrima ac doctiſſima explanatione ſatis expoſuit. Ciceronis inſtitutum fuiſſe teſtatur, ut nullius in philoſophando Sectae legibus adſtringeretur, quibus ipſe neceſſariò ſemper pareret; ſed pro ſuo more, quid in quaque re maximè probabile, ac ſimillimum vero eſſet, ſemper illum conquiſiſſe, itaut non rarò, uno dixerim eodemque tempore, & Academicus & Stoicus cuipiam videatur.

Novem deinde legimus alloquutiones, quae ſunt veluti quaedam proluſiones, ſeu praefationes, quas habere conſuevit, cum ad aliquod veterum opus explanandum aggredere-

(*a*) Profectò ſi tempora conſideres, quibus Picturam reſtitutam accepimus, non nihil in Dominicanorum templo habemus Senenſes, quod ante Cimabovium editum, optimo teſtimonio comprobatur. Hac de re Clariſſimum Benevolentium noſtrum, diſſertationem conſcripſiſſe intelligo.

deretur. Priorem habuit cum primùm Tullianam orationem pro Archia poeta auditoribus explicare coepit. In quo profectò non eſt praetereunda Editoris oſcitantia, quòd generatim ad Marci Tullii orationes hanc fuiſſe praefationem prodiderit. Argumentum, occaſionem, & conſilium totius orationis, quâ A. Licinium Archiam Antiochenum defendit Cicero, hìc proponit Datus. Qui praeterea cum opus ejuſdem Ciceronis de Officiis publicè legere coepit, habuit ſequentem quoque oratiunculam; ubi teſtatur rem eo conſilio cupidè explanandam ſuſcepiſſe, uti cum in eo optima vitae diſciplina contineatur, ad eamdem labore & induſtria percipiendam, auditores ſuos hortaretur.

Valerii Maximi expoſiturus libros hanc quae ſequitur habuit. Cum ad adipiſcendam virtutem praeceptis excitemur, atque exemplis; multorumque cum malorum, tum bonorum exempla Valerius Maximus, quem probatiſſimum authorem vocat, collegerit; ad hoc ideo opus fuiſſe aggreſſum teſtatur; adjicitque ad calcem, ab authoris nomine, operis argumento, ſcribendi modo, tractandi ordine,

dine, & conſilio ſcribentis rem inchoaturum. Quod quidem ex iis, quae jam animadvertimus cum de Tuſculanarum quaeſtionum commentario ageremus, perpetuum atque ſolemne eidem fuiſſe conjicimus. Felicia profectò tempora, quibus cum praeceptores in eo eſſent, ut veterum opera auditoribus explicarent, ita eorum mentes his proluſionibus inſtituebant, ut latino ſermone percepto, ad reliqua percipienda ipſi, nullo adhibito praeceptore, feſtinarent. Hanc excipit Praefatio „ in principio legalis cujuſdam lectionis „ Nam ea omnia quae hìc continentur, cuique Juriſprudentiae parti, titulo, & materiae accomodari poteſt.

Sequuntur quatuor praefationes, quas habuit ſeu recitavit Nicolaus filius, horum operum collector, dum Pater Publii Terentii Comoedias eſſet explanaturus. Tertiam, & quartam imprimis habuiſſe videtur cum Adelphos fabulam explicandam Auguſtinus Pater ſuſcepiſſet. Terentii poetae laudes, ejuſque doctrina, ſermoniſque elegantia ſimul ac facetiae hìc afferuntur; pluribuſque poſtremò oſtenditur, ea ſermonis elegantia Terentium valuiſſe, ut Ciceronis opera vocem ipſam Terentianam reſonare videantur. Haec

Haec conſequitur ſatis prolixa alloquutio; quam, ſi collectori credimus, Datus noſter quartum Aeneidos librum explicaturus habuit. Sed dum rem hanc fuiſſe aggreſſum teſtatur, adjicit librum quoque Ciceronis de Officiis explanandum Auguſtinum ſuſcepiſſe, quòd Petrus Fundius ſororis filius, quartana febri in lecto detentus, rem exordiri non poſſet.

Ex hoc priori orationum libro viginti novem ſuperſunt. Quarum novem pro iis ſunt, qui vel *Doctoratus* inſignia petunt, vel eadem conferunt, vel in Philoſophiam, aut Juriſconſultorum Collegia cooptantur. Septem ſunt proluſiones ad aliquem librum vel Philoſophiae partem Auditoribus explanandam. Coeterae omnes varia rerum, virtutum, ac laudum genera, & argumenta complectuntur. Earum aliquae ſunt prolixae, quedam verò perbreves. Ad eas quod attinet, de *Doctoratus* inſigniis, Sapientiae, ac Philoſophiae laudes principiò plerumque perſequitur. Tum ad ejus facultatis, ac diſciplinae praeſtantiam atque amplitudinem venit. Clariſſimi aliquando viri laudantur, qui in Senenſi Lycoeo; vel

vel juventuti inſtituendae praeerant, vel edocti quondam fuerunt, aut inſigniis pro eorum virtute ornari debebant. Inter eos ſunt Petrus Venantius, Franciſcus Ninius, & Bertoldus Maſſarius. Neque deſunt ſaepenumero, quae ad Civitatis Senenſis honorem ac laudem pertinent. Ex ea quae eſt ordine viceſima quinta, maximam in hiſce rebus Archiepiſcopi Senenſis fuiſſe authoritatem habetur; ita ut ſtudiorum omnium Praefectus appelletur.

Ex proluſionibus ea ſatis ſpectata, ac prolixa eſt, quam habuit, cum Tullianum de Officiis opus explicare incepit. Mutilatam, mendoſam, corruptam, atque imperfectam ſuperfuiſſe Editor teſtatur. Et rectè quidem, cum plura admodum in ipſo principio deſint. Univerſi operis propoſitum, conſilium atque partitio hìc habetur, ac veluti epitome eorum omnium, quae in doctiſſimi hujus operis uno quoque libro legimus.

Eſt per brevis qua ad Tuſculanas explicandas quaeſtiones, eſt praefatus. Quam ordine triceſimam legimus, neſcio quo conſilio, inter orationes poſuerit Editor, cum ſit

 ſolùm

ſolùm breviſſimus orandi modus, uti Divinam ſibi opem Doctor conciliet, remque ſuam optimo auſpicio gerat. Sunt duae admodum breves, quarum altera de laudibus eſt *Legalis Sapientiae*, altera de laudibus Virtutis. Eſt & quaedam non ita brevis de laudibus Chriſtianorum Theologiae; in qua poſtquàm Sacrorum doctrinam eſt perſequutus, multa adjiciuntur, quae ad maximum Sanctae Triadis Miſterium, pro noſtra tenuitate addiſcendum, pertinent. Et in alia tandem, lectu non indigna, de Hiſtoricorum, atque Oratorum laudibus non nihil agitur.

Earum, quae ſequuntur, partem maximam, argumenti dignitate, praeſtantiſſimam eſſe conjecimus. Satis longa eſt, quae Pacis laudes complectitur, quamque ad S.P.Q.S. habuiſſe, nonnulla quae ad calcem habentur verba ſuadent. In ea poſtquam omnium, quae ferè enumerat, bonorum ſummum eſſe Pacem oſtendit, ab uno Deo ejuſque fontibus id proficiſci, pluribus non ſolùm Sacrorum Bibliorum, ſed Ethnicorum etiam teſtimoniis, luculenter diſertèque teſtatur. Duae ſunt, quarum prior eſt de Amicitia, altera de Humana Felicitate; ubi

paucis

paucis utriuſque praeſtantiam, ac dignitatem, Ethnicorum plerumque teſtimoniis, collaudat. Sed ad Felicitatem quod attinet alia longiori oratione, ſuaviſſimis auditoribus oſtendere conatur, eamdem contineri in medio, quem appellat vitae ſtatu, (in quo nec copia diffluit, nec urget inopia.) Virgilii, Horatii, Tibulli, Plinii, & Severini Boetii ea ſuper re teſtimonia adhibentur. Aliorum fortè monumenta in hanc intulit orationem, ſed mutila planè eſt; quod quidem Editor, pro ſua oſcitantia, minimè animadvertit. Quatuor ſunt Orationes, quae ad hominis naturam pertinent; in quibus de ejus fine, animi cultu, & rerum humanarum contemptu potiſſimum agitur. Sed harum poſtrema mutilata eſt.

Ex coeteris duae ſunt ſatis longae, quae Virtutis laudes continent. Priorem jure meritoque fragmentum orationis Editor appellavit, nam mutila & ipſa eſt. Quod quidem, & in poſteriori animadvertere oportebat, quòd illi quoque idem fatum contigerit. Id autem dolendum planè eſt, quòd optima quaeque in eam rem conferunt, ex iis, non paucis quidem, quae ſuperſunt, in has

orationes illaturus videbatur . Nam ſive veterum teſtimonia conſideres, ſive rectam eorum cogitandi methodum animadvertas, quae ad virtutis dignitatem pertinent, praeſtantiſſima ferè omnia fortaſſe hìc collecta habes. Stilus profectò elegans eſt atque oratorius. Verùm cum Hieronymianos libros ſaepè numero percurrerit Datus, quae minus latinè adhibuit verba Sanctiſſimus Doctor, huc intuliſſe Datum conjicimus.

De Orationum Libro Secundo.

Alter orationum Liber viginti quinque complectitur ſcriptiones; quarum ſex verae orationes videntur in genere exornativo; habitaeque ſunt ad frequentem Senatum Populumque Senenſem, tum in Templo Maximo, cum in Sancti Franciſci, S. Dominici, aliiſque Sanctorum Aedibus.

Omnium princeps omniumque longiſſima eſt de laudibus S. Hieronymi. In ea uberrimam dicendi copiam nactus Datus, magnam eloquentiae vim, ex ejus S. Doctoris fontibus, in ſuam orationem derivare poterat.

Poſt-

Poſtquam principiò ad Auditores ſibi conciliandos, ad Ciceronis ingenium, multa cumde ſui, quam dicit imbecillitate, tum de Sancti ipſius, quae longè inter alios eminet, doctrina, ſatis diſertè eſt praefatus, plurimis iiſdemque optimis verbis, ejus ingenium laudat; ſed dum rem hanc perſequitur, paulatim ab Oratore ad Hiſtoricum vergit. Tum ad viri ſanctimoniam veniens, eamdem pluribus effert. In quo quidem non ſemel utitur Sacrorum Bibliorum locis, ſenſum adhibens, quem vocant accomodatitium, ac verba, quibus dum Sacris operam damus uti conſuevimus. Hinc ſtilus non ita eloquenter ac planè diffluit, ſed aliquanto poſt ſeſe paulatim effert. Ejus juſtitiam, temperantiam, victum, vitae cultum, beneficentiam ſeorſum ita collaudat, ut illum unum veterum ſapientiſſimis longè anteponendum ſtatuat. Sancti Doctoris temperantiam deinde perſequitur. Virginem perpetuò manſiſſe, ſed parum probabili argumento tradit; cumque de ejus beneficentia differit, plura in hanc intulit orationem de Leone, quem ad Illius pedes repreſentare jamdudum pictores conſueverunt, quae vix ſuaderi poſſunt. Ad ejus do-

doctrinam poſtmodum venit. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi teſtimonio illum dicit Libros percurriſſe omnium, qui ante ſuam aetatem aliquid memoriae prodiderunt. Clariſſimos ejus magiſtros, ac praeceptores, quaeque linguarum genera ſibi comparavit, quaeque ad diſcendum confecit itinera, accuratiſſimè atque ordine enumerat. Maximam Librorum partem, quos conſcripſit, ſeu ex externo ſermone latinè reddidit, accuratè ſtiloque planè hiſtorico recenſet. Libros de Frugi & Luxurioſo filiis, de Aſſumptione B. Virginis, & De quibuſdam Scriptoribus ad Deſiderium, inter germana ejuſdem Sancti Doctoris opera enumerat. Quos quidem libros optimo jure in angulum rejecit Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus. De ejus praeſtantia iterum non nulla ex Graecorum teſtimoniis, Graecè allatis adjecit, mortemque ejus contigiſſe anno Honorii Auguſti duodecimo teſtatur. (a) Lectu digna res eſt, quam, voculis licèt barbaris aliquando ſcateat, Rhetorum tamen floribus reſperſam aequus lector eamdem aeſtimabit.

Alteram

(a) De anno quo mortuus eſt Sanctus Doctor plures ſunt ſententiae, quarum qu aeque ſua habet argumenta.

Alteram habuit ad S. P. Q. S. die Paraſceves, eſtque de Paſſione Domini. Habes hìc dulce orationis genus, quo Chriſti Domini hiſtoriam, oraculis plerumque Prophetarum, typiciſque Veteris Teſtamenti teſtimoniis, ſatis accuratè deſcribitur. Sanctorum quoque Patrum effata, veterum ſenſus de Evangeliſtarum verbis, nec non in Deum pietatem, & ſui ipſius contemptum continet. Stilus non incomptus eſt, voculae aliquando ſunt barbarae, ſed eloquentiam ac Datiani Oratorii ſermonis elegantiam, haud redolet; quod quidem omne ſaepenumero in iis de quibus deinceps loquemur, orationibus conjecimus.

Laudes S. Bernardini Senenſis complectitur tertia oratio, quae poſt Pii Secundi mortem Datum habuiſſe plura, quae hìc leguntur, ſuadent. Dum Senenſes Magiſtratus in Templo, crediderim Maximo alloquitur, multa praemittit de Magnorum Virorum Senenſium laudibus, cumque illis, aliiſque Sanctiſſimis viris confertur Bernardinus; ejuſque virtutes non nullis adhibitis veterum placitis atque exemplis, ad vivum dixerim, repreſentantur. Adjicitur ad calcem ejuſdem Sancti viri hiſtoria.

ria ; quam jam pridem ab Auguſtino Dato confectam, Pij Secundi authoritate in Eccleſia e Senenſis ſanctarum precum Codicem, (Breviarium vocant,) Senenſes inferri curarunt. Sororem Xenodochii ſeu Noſocomii Senenſis inſtitutorem, qui nono ſeculo floruit „ in toto terrarum orbe praeclaram Hoſpitalem aedem „ omnium primum condidiſſe, neſcio quo pacto tradit. Et mirari profectò non ſatis deſino, Datum noſtrum, qui Sancti Hieronymi libros ferè omnes percurrerat; latuiſſe epiſtolam viceſimam ſextam ad Pammachium, ubi hominem, Paulae ſanctiſſimae foeminae generum, Sanctus Doctor collaudat, quòd Paulina uxore defuncta Monachiſmum amplexus, Xenodochium aedificarit in Portu Romano; & Abrahamum ſequutus fuerit Patriarcham, qui hoſpites in domo excipiebat paſcebatque, & in montanis habitabat. Sed ad rem hanc quod attinet, Fabiolam quoque ipſius Hieronymi teſtimonio, Noſocomium in Civitate Romana inſtituiſſe comperimus. Quid quod in Conſtitutionibus Leonis, & Antemii Auguſtorum (*a*) laudatur Zoticus Ro-

(*a*) Ad Dioſcorum Praef. Praet. L. omnia C. de Epiſc. & Cler. Mich. Glyc. in tertia parte Annalium.

Romanus Patricius, quem Conſtantinus Magnus Româ Conſtantinopolim duxerat, quòd primus hujuſmodi pietatis officium exercuerit. Sed eò redeamus, unde diſceſſimus.

Sequitur Oratio de laudibus S. Catharinae Senenſis, quae in Templo quodam Senenſi (S. Dominici fortè erat) ejus feſto die longè priùs quàm ſuperior, habita eſt. Ejus Virginitas, ſapientia, ac virtutum ſplendor apprimè extolluntur. Haec etenim ſunt hujus orationis ſumma capita. Quae depromuntur ex Sacris Bibliis, & ex multiplici argumentorum genere, optimum quoddam atque uberrimum reddunt orationis genus; Cujus quidem epitome Italico ſermone ad foeminas habuit, & in calce orationis, ad Sanctae municipis imitationem ſtudio maximo eaſdem cohortatur. In hoc autem Italico dicendi genere ea valuit Auguſtinus ratione, ut corruptiſſimum ejus ſtilum non fuiſſe videatur. Nam quo tempore vernaculae linguae expoliendae nulla eſt cura, volenti nolenti, ſordes illae atque barbarae voces, quae ab ore vulgi proficiſcuntur, auribus noſtris ac ſenſui obverſantur; eaſdemque perpetuò in animo, at-

que in cogitationibus haerere patimur, & audire etiam & fari cogimur. In quod quidem malum incidiſſe ferè omnes vel clariſſimi viri, qui per eam tempeſtatem Italicè ſcripſerunt, lectitantibus compertum eſſe arbitror. Sed ad Latinae hujus orationis quod attinet ſtilum, idem planè eſt atque in ſuperioribus orationibus.

Has excipit quinta oratio, occaſione quidem ac ſpecie in honorem S. Calliſti Pontificis Maximi, (parum enim admodum de eo fit mentio,) re vera in Calliſti Tertii Summi Pontificis laudem. Cum enim circa annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum ſeptimum, rebus noſtris in magno diſcrimine conſtitutis, ingentem opem tuliſſet Summus Pontifex Calliſtus, & publicam libertatem, ampliſſimis ad Alphonſum Regem anno ante miſſis legationibus, adeo defendendam ſuſcepiſſet, ut nullis pepercerit, vel ſumptibus, vel laboribus, pridie Eidus Octobris Senatus Conſulto in S. Calliſti honorem decretus eſt feſtus dies, & Sacra ſolemniter in Templo Maximo omnium Magiſtratuum, Civium, totiuſque populi frequentia, peracta a Sacerdoti-

dotibus ſunt. (*a*) Hac occaſione Datus noſter, qui per id tempus Senenſi Reipublicae a ſecretis, & Epiſtolis erat, Quindecimvirûm juſſu, marmoreum ampliſſimum ac praenobile, quod adhuc extat, ſuggeſtum aſcendit, habuitque hanc, de qua loquimur, orationem. In ea poſtquam de duobus primis Calliſtis Romanis Pontificibus, quae afferri ex hiſtoria poterant attulit, ad Tertium Calliſtum, cujus gratia revera ſolemnis dies decreta erat, venit. Ejus in Turcas conſilia ac facinora laudat: beneficia tanti Pontificis in Senenſem Rempublicam commendat: & pro ejus incolumitate, totiuſque rei Chriſtianae incremento, vota Deo nuncupanda edicuntur. Id ipſum autem rudi etiam popello Italico ſermone ſuadetur.

Poſtrema tandem oratio eſt de Jeſu Chriſti Servatoris Nativitate, coram Summo Pontifice & frequentiſſimo Purpuratorum Patrum Senatu; quam habuiſſe conjicimus in Sacello Pontificio, feſto ejuſdem Nativitatis Domini

 No-

(*a*) Exardeſcebat, inquit Datus noſter in Tertio Hiſtoriarum, mira quaedam Senenſis populi in Pontificem Maximum charitas atque obſervantia. Et pridie Idus Octobris, ob ipſius nominis reverentiam, cum Calliſti Martyris Natale celebraretur, feſtum eum diem Senenſes fecerunt.

Noſtri Jeſu Chriſti, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo; cum nimirum Summus Pontifex Pius Secundus; cumque eo Aula Romana Senis verſaretur. Admiranda Chriſtianae Religionis miſteria hìc pertractantur: beneficium *Incarnationis*, Prophetarum Vaticiniis, novi cum Veteris Teſtamenti collationibus, Sanctorumque Patrum teſtimoniis, accuratè neque ineleganter deſcribitur, & ſummum mortalium bonum ob oculos ponitur. Hujus orationis argumentum inſcripſit Editor de Salvatoris Adventu. Verùm cum Chriſti adventum non parum diversè ab ejus Nativitate Chriſtiani recolere conſueſcant, & Chriſti Nativitatis verba res omnis contineat, iccirco de Chriſti Nativitate non de Adventu inſcribere oportebat.

Coeterae hujus libri orationes non videntur admodum caſtigatae, nec prolixae. Sunt autem de Sacramento Altaris: de laudibus Sanctorum Andreae, & Bernardini: de laudibus B. Virginis, ejuſque imprimis Aſſumptione. Hanc autem habuit in Templo Maximo Senenſi, coram Pontifice Pio, totaque Aula Romana, quae Senis tunc verſabatur. Erat-

que

que tunc ſumma populi frequentia, non ſolùm noſtrorum, ſed etiam Florentinorum Civium; quibuſcum ſumma per id tempus animorum concordia, paciſque indicia fuiſſe teſtatur.

In harum, ſi dici poteſt, orationum numero, ſeptem ſunt veluti formulae, quibus Solemni Epiphaniae feſto die, concione advocata in Templo Maximo, ea quae dicimus Chriſtiani Feſta Mobilia populis annunciantur. Non inelegantes ſunt, & rei Chriſtianae plerumque, unaquaeque ſeorſum ſummam continet. Extat quoque Oratio, quâ copioſè admodum ac preſsè, cujuſque rei originem oeconomiam atque exitum, Deo referenda eſſe ſuadetur. Superſunt ad totius libri calcem quaedam ſupplices orationes, invocationes, ac preces, quibus Sanctorum opem ac praeſidium apud D. O. M. Chriſtiani nobis conciliare ſolemus.

De tertio Orationum Libro.

DUo de quinquaginta orationes, ſeu ſcriptiones hic tertius liber continet; quarum ſolae duodecim orationis, non prorſus inelegan-

legantis, & cum ſtilo, tum argumentorum ac rerum dignitate atque praeſtantia, indicia exhibent. Et prima quidem, quae de laudibus agit Senenſis Patriae, optimaque Reipublicae adminiſtratione omnibus numeris abſoluta eſt. Licèt enim initiò, quoad noſtrae Civitatis originem ſpectat, nimium ſibi ac municipibus ſuis indulgeat, nimiumque arrideant noſtrorum ſenſa de quibuſdam Scriptorum veterum locis, ſola verborum affinitate in rem noſtram conferentibus, nihilo tamen minus rerum ac ſtili majeſtatem praeſefert. Et verborum ac ſententiarum floribus ita orationem ſuam conſperſit Datus, ut antiquorum quorumdam fortaſſe orationibus, haec elucubratio meritò conferri poſſe videatur. Optimè inſtitutae Civitatis ordines, fines, conſervationis modus, Magiſtratus, mores, honores, poteſtas, vectigalium ratio, condendarum legum authoritas, atque oeconomia ſeorſum afferuntur, deque earum quaque re non nihil diſſeritur. Argumenta autem a veterum plerumque Ethnicorum placitis petuntur. Ad calcem quàm probabiles afferuntur rationes, quibus virtutum omnium

cultus

cultus augeatur : malorum irritamenta , & animi mollities e medio tollantur : ſacra curentur conjugia , & Pacis dulce praeſidium Reipublicae incolumitatem firmet .

Hanc excipit oratio ad S.P.Q.S., quam in Templo Maximo feſto die, florente Sixto Quarto ſeneſcentem habuiſſe, cum Senenſes inter & Ferdinandum Aragonium foedus ictum eſt legimus. A Civitatis noſtrae laudibus rem orditur. Ad ea tum venit, quibus paulo ante peſſundata ac pene ad extremam ultimamque libertatis cladem Senenſis Civitas redacta erat, e quibus calamitatibus teſtatur, non ſinè B. Virginis Matris Patrocinio emerxiſſe, quemadmodum ſeculo decimo tertio, trans Arbiam ad Montem Apertum contigiſſe, comperimus; cujus quidem hiſtoriae breviarium veluti quoddam hanc in rem intulit. Exponit deinde qua ratione non ſolùm ab iis malis Civitas emerxerit, ſed Sixti Pontificis ope, ad Patriae libertatem perpetuò tuendam, cum Ferdinando Neapolitanorum Rege, Sanctiſſimum foedus percuſſerint. Dumque vota pro eodem Rege ac publica libertate Deo Optimo Maximo nuncupari ſummopere cohortatur, rei tandem modum ponit. Se-

Sequitur tertia ad S. P. Q. S. quam eorum juſſu de Senenſis Urbis dignitate, recta ejus inſtitutione, deque ſervanda Reipublicae tranquillitate habuit. Florente Pio Secundo „ cum praeclara vexilla Magiſtratibus tribue„ rentur „ eam recitavit. Incipit ab ejus origine, in quo ad ſuum ingenium, vulgi inanibus traditionibus non parum indulget. Duo integra priora orationis capita comprobat argumentis petitis a loci opportunitate, aeris temperie, agrorum ubertate, Urbis ornatu amplitudine ac magnificentia, ampliſſima cum mediterranea tum maritima ejus ditione, a praeclaris cum Sanctitate tum doctrina & authoritate viris, atque a Reipublicae inſtitutis; quae omnino cum Romanis veteribus reſpondere oſtendit. Tertiam orationis partem, nimirum de ratione ſervandae publicae tranquillitatis Italico ſermone pro concione habuit; eo crediderim conſilio, uti ii qui latinum ſermonem non aſſequerentur, & fortè non pauci erant, remque publicam vel dolo malo, aut per ignorantiam labefactare poſſent, probè intelligerent, quod malum, id perditiſſimis moribus conando, admitterent, quod-

quodque neceſſariò gerendum eſſet, uti optimi Civis officium perſequerentur. In hac tertia itaque parte libertatis, pacis, ac gloriae ſeorſum fructus collaudat. Qua occaſione veterum quorumdam teſtimonia Latinè in hanc Italicam orationis partem intulit.

Quartam, quae ordine quinta eſt, ad ſtili exercitationem confectam arbitror, cum „ pro eo conſcripta ſit „ ait in epigraphe operum editor, qui „ vice illius qui S. Synodi Religioſorum omnium Sacri alicujus Ordinis celebritate concionem ſit habiturus ad Senenſem Populum, Generali eorum Duce ac Rectore jubente „ Ea eſt de Civitatis Senenſis laudibus. Ex nonnullis, quae in hac leguntur oratione, conjecimus in Monacorum conventibus, qui in noſtra Civitate fortè fiebant, ejuſmodi argumenti orationem publicè, per eam tempeſtatem, ſaepe numero fuiſſe habitam. Hujus autem argumenta petuntur a ſoli ubertate, optimarum artium ſtudio, recta Reipublicae adminiſtratione, juſtitia, temperantia, optimè inſtituta juventute, aliiſque id genus. Veterum placita ac teſtimonia non rarò adhibentur, & non ſemel vocibus ſcatet barbaris.

Alia praeterea eſt oratio ad S. P. Q. S. de praeclara Reipublicae inſtitutione, quae ordine octava eſt, juſſuque ipſius Principis Senatus eam habuit, cum Magiſtratus decretam praefecturam inirent, imperiumque traderetur. Sapientia, juſtitia, atque concordia Reipublicae adminiſtrationem obtineri, pluribus iiſdemque optimis rationibus oſtenditur. Ad calcem legitur Italica cohortatio ad Magiſtratus ipſos (erant enim inter eos dubio procul, qui Latinum ſermonem non aſſequebantur) uti Magiſtratum, bene ſapienterque ad Reipublicae bonum adminiſtrarent. Ad ſermonem Latinum quod attinet ſeneſcentem hominem prodit.

Eſt & alia, quae ordine decima eſt „ de „ laudibus juſtitiae, & optima rerum ac Ci„ vitatum Rectorum gubernatione „ Ad Regem fortaſſe Neapolitanum Regnique Proceres haec habita eſt oratio; & niſi fortè ad ſtilum exercendum confecta eſt, crediderim Datum quo tempore Reipublicae Scriba erat, rem pro eo Senenſi confeciſſe, qui pro Republica Neapolim legatione functurus proficiſcebatur. Ejuſdem planè argumenti alia eſt oratio, quae

ordi-

ordine duodecima eſt, habitamque fuiſſe legimus, cum novi Senenſes Magiſtratus decretum honorem inirent. Ambo non inelegantes ſunt; optimiſque veterum ſententiis oſtenditur juſtitiae adminiſtratione ſtare Imperia ac Principatus. Hortaturque Datus ad calcem eos, qui juſtitiae munus obituri erant, uti rem diligentia ſumma gererent.

Sunt preterea aliae duae orationes, quas habuit cum is, qui Profeſſoribus in Lycoeo praeerat (Rectorem Sapientiae Senenſes appellamus) decretum Magiſtratum iniret, ſuntque ordine decima ſexta, & decima octava. Ex his plura accepimus, quae honorem hunc fuiſſe ampliſſimum produnt. Plurima etenim hìc enumerat, collaudat, exponitque author, quae ipſum electum gerere oportebat; & plerumque ea omnia veterum teſtimoniis illuſtrantur. Cohortatio ad calcem legitur ut juſtitia cum aequitate in Lycoeo conjungatur.

Poſterior de Siculo praenobili ac praeſtantiſſimo viro qui gymnaſiarchatum obtinuerat agit, iſque pluribus laudatur. Quae eſt ordine viceſima prima de recta Reipublicae adminiſtratione ad Senenſes Magiſtratus ha-

bita eſt. Ex juſtitiae atque pietatis cultu, juxta illud Ciceronis (a) juſtitiam cole & pietatem, maximè illud pendere oſtenditur. Ejuſdem generis atque argumenti ſunt, quae ordine decima ſexta & decima octava leguntur. Quae eſt viceſima ſexta in Senenſium comitiis habita eſt, cum Cives ex urnis ſitellisque Magiſtratus ſortirentur. Hanc ſeneſcentem conſcripſiſſe comperimus. Qui optimi ſint Magiſtratus, quique peſſimi hac oratione comprobatur. B.Mariae Virginis, Senenſium Tutricis ac Patronae laudes hìc perſequitur author: ejus ac Sanctorum opem conciliandam Magiſtratibus eſſe teſtatur, ut in futurum florentem tueantur Rempublicam.

Eſt tandem alia ordine triceſima octava, quam ipſe recitavit cum Supremum Magiſtratum iniret. De ejus qui Civitatibus praeeſt dignitate, praeſtantia, atque doctrina agit, deque iis, quibus ornari conſueverant inſigniis, per quae plurium virtutum indicia portendi ſuadet. Ut autem omnia proſperè eveniant B. Virginis ac Sanctorum auxilium ſibi prece ad calcem conciliat. In quo praetereunda

non

(a) 6. de Republica.

non eſt levis illa nominum quorumdam Sanctorum expoſitio. Nam cum Sanctos Martyres Creſcentium, Anſanum, Sabinum, atque Victorem jam inde a pluribus ſeculis aſciverint ſibi majores noſtri in Patronos: a Creſcentio augumentum gratiae, ab Anſano ſalutem, a Sabino ſapientiam, a Victore victoriam obtineri a Senenſibus, ſatis frigidè atque ineptè contendit; quam quidem rei inſulſitatem, (ad noſtra uſque tempora, mutatis ſolùm verbis dimanavit) non rarò in quibuſdam noſtrorum, & ex plebecula imprimis, reprehendes. Harum profectò lectione, earumque de quibus poſt paulo agemus, maximè rebus ſuis publiciſque conſulerent, qui Magiſtratibus praeſunt, quique optimam populorum curant inſtitutionem, ac Reipublicae ſaluberrimam adminiſtrationem.

Superſunt in hoc libro coeterae orationes, ſeu potius breves alloquutiones in omne argumenti genus, quae ad multorum uſum converti poſſunt. Et imprimis cum Academiae praefecti, ſive Magiſtratus inſignia ſuſcipiunt, ſive cum novi deſignantur, qui populis praeeſſe debent, aut cum nova habentur comi-

comitia , vel in teſtimonium & laudem bene adminiſtratae Reipublicae, quemadmodum de non nullis, quorum jam in hoc eodem libro fuſiùs meminimus, teſtimonium affertur. Sunt praeterea nonnullae veluti formulae, ad gratias agendum pro beneficiis acceptis : pro eo , qui vel in Canonicorum quos vocant Collegium cooptatur, aut in Praetorem deligitur Civitatis, vel magiſtratu jam defunctus eum, qui ſibi ſufficitur, ad decretum officium bene gerendum hortatur. Pro laudanda inſuper alicujus in Patriam fide, proque eo, qui vel magiſtratum iniit, ſe ipſum civium fidei commendat, cum ingentem ſuſcipit provinciam.

Sunt una itemque altera , cum vel S. C. aut Regis cujuſdam authoritate nonnemo militari ornamento, aliiſque praeclarae virtutis indiciis augebatur. Quatuor ſunt pro Senatore Romanae Urbis, vel cum magiſtratum iniret, aut alius eidem ſufficeretur. Eſt altera pro Epiſcopo aut Cardinali, decretam a Pontifice Civitatis cujuſdam praefecturam ineuntibus. Eſt & oratio in laudem Pientinae Civitatis, & altera in laudem „ Adventitii, ſeu „ conſcriptitii Civis Senenſis„ & tandem ora-

„ tio

„ tio cenſoria inter duos ſententiam in Senatu dicentes „. Omnes Datianum ſtilum ſapiunt, licèt non raro, pro temporum calamitate rerumque genere, forenſium voculis ſint aſperſae; & plerumque veterum teſtimoniis atque exemplis, & Sacrorum imprimis Bibliorum, argumenta comprobantur.

De quarto Orationum Libro.

IN quarto Orationum Libro ſex & ſexaginta continentur alloquutiones, quas ſive author, ſive is qui haec formis edidit, orationes appellat. Et ſanè verae orationis numerum caracterem, & oratorium ſtilum vix, & plerumque ne vix quidem, habere dixeris. Ex his primam ad Magiſtratus Senenſes habuit Clerum & populum, ipſa die quâ Romae Solemnis ejuſdem Pii Pontificis Maximi inauguratio peracta eſt. Laudatur in ea Pontificatus ac Pii ipſius ſumma authoritas, ac dignitas; quam non ſinè Divino conſilio, de Republica atque imprimis Chriſtiana meritiſſimum hominem obtinuiſſe teſtatur; & excitatur ſtudio maximo populus uti ea de re laetitiae indicia agat. Alte-

Alteram habuit ad eumdem Pium Pontificem, qui Senis Mantuano Conventu redux verſabatur, pro toto Lycoeo, Rectoris quem vocant juſſu, cum ut officii gratia Pontificem veneraretur, tum uti grates eidem redderet de quibuſdam privilegiis, quae ad gymnaſii amplitudinem ac majeſtatem Pontifex Pius contulerat. Poſtquam itaque ad Pontificis animum ſibi conciliandum multa, juxta Oratorum ingenium, eſt praefatus, hiſtoriam proponit de Moiſe, qui populum de ſervitute Pharaonis in libertatem vindicavit; conaturque oſtendere, eamdem rem jam peracturum Pium; qui per eos dies claſſicum canens opere ſummo, ac ſtudio maximo omnia audere ac tentare conabatur, uti Turcarum vim deleret. De ſuſcepto deinde conſilio Pontificem pluribus laudat: gratulatur denique Senenſi Civitati, quòd praeſtantiſſimum hominem difficillimis illis temporibus Eccleſiae pepererit; oratque Deum, uti propoſitum felicibus auſpiciis proſequatur. Lycoeum deinde ſuum Pio commendans, deque collatis privilegiis gratias agens, tandem finem dicendi facit.

Quae ſequitur eſt pro Legato Caeſaris Friderici ad eumdem Pium, paulo poſtquam Sacrorum faſtigium aſcendit. Caeſaris nomine hic obedientiam Pontifici profitetur Legatus: Ejus laetitiae indicia de hac Pii dignitatis acceſſione teſtatur: Divino prorſus conſilio dicitur Caeſarem illum in expeditione Turcica habere adjutorem, qui aliquando in Ratiſponenſi ac Francfordienſi Magnorum Principum Conventibus, rem ſtudio maximo ſuaſerat; & Conſilium initum in Conventu Mantuano Caeſari fuiſſe planè probatum. Nonnulla denique ad Pannones pertinentia renunciantur; & ſaepè non pauca cum Pontifice acturum teſtatur, (*a*) quae ſemotis arbitris explicanda videbantur.

Ex coeteris, quae in hoc libro continentur, ſeptemdecim orationes ſeu breves alloquutiones ſunt, non inelegantes, benevolentiae ac voluntatis ſummae indiciis aſperſae, atque ad gratum animum, ſummamque in Principem virum obſervantiam teſtandam accomodatae. Ex his plures veluti formulae ſunt ad

(*a*) Acturus inquam Orator Caeſaris, cum non Datus ipſe, ſed hic pro eo hanc ſcripſerit ut diximus orationem.

Pium , ſeu alium Romanum Pontificem , pro principibus viris, Civitatibus, Ordinibus ac collegiis ſalutandum ; & eidem , ut aequum erat , obedientiam quam dicunt profitendam : vel abeuntem , ſeu advenientem pro ejus maxima dignitate alloquendum : ſeu ad exordiendum ſermonem cum Rerumpublicarum Oratoribus , cum primùm mandata forent evolvenda atque explicanda : ad gratias eidem Pontifici habendas , ad mortui Cardinalis roſeum galerum , & argenteum tintinnabulum Papae reſtituendum , & alia id genus .

Sunt praeterea ſex , quae ad uſum ſunt ejus , qui pro Romano Pontifice , Imperatore , Regibus , Principibus , ac Civitatibus legatione fungitur ; atque Imperatori , Regi , Reginae , Principibus , Epiſcopis , Cardinalibus vel obviam prodit , vel eumdem conveniendo auxilium poſtulat : de honoris acceſſione gratulatur , gratias pro beneficiis agit , munera eidem defert , ab expeditione redeuntem collaudat , bonum iter a Deo Optimo Maximoeidem precatur ; aut publicè illud laudat, quòd ſolemni convivio interfuerit , & alia demum id genus , quarum plurium hìc inſeritur reſponſio . Quae

Quaedam praeterea eſt, qua nomine Senenſium Magiſtratuum, ſingulis annis die Aſſumptionis B. Virgnis, Senenſi Archiepiſcopo agebantur gratiae, quòd ipſa die bellariis, ac ſuaviſſimis vinis eos lautè ſplendidèque excepiſſet. Eſt etiam formula „ pro Xenodochii „ Senenſis miniſterio devotis „ cum novus Praefectus eam ingreditur domum, ſummaque Magiſtratuum auctoritate obtinet praefecturam. Eſt etiam Oratio ad uſum Monachi; qui ſupremi Magiſtratus authoritate, alterius Monachi mores rimatus, publicum ad Monacorum Conventum de ejus innocentia edit teſtimonium.

Eſt etiam alloquutio, quam Nicolaus Datus decemnis Auguſtini filius ad Alphonſum Aragonium in Curia Senenſi, frequentiſſimo Procerum, virorum, ac mulierum Conventu, in ludorum pompa atque celebritate, tertio Eidus Sextilis habuit. Quam quidem, quantùm per aetatem licuit, adeo eleganter Nicolaus puer recitavit, ut poſttridie ejus diei idem Alphonſus Aragonius, cum puerum Equeſtri dignitate, id propter aetatem abnuente patre, ornare non potuiſſet „ tandem illum ſtola can„ dida ſuis ipſe princeps manibus induit „

Comitiſque dignitate ornavit. Hac de re adjiciuntur hìc ad calcem verba, quibus puer ingentes Principi gratias agit . . . . . .

Eſt inſuper alloquutio, quam idem Nicolaus decemnis puer habuit in Archiepiſcopi aedibus, cum Franciſcus Cardinalis Senenſis Ludovicum Gonzagaeum Mantuanorum Principem, cumque eo Epiſcopos plures, aliosque principes viros, optimis atque opiparis ſplendidè apparatis epulis excepit.

Sunt tandem duae orationes non ita breves, quarum primam ipſe habuit Urbini paucis poſt diebus, quàm Fridericus Principatum ſuum iniret. Altera eſt de laudibus Regis Gallorum. In illa poſtquam pluribus veterum ſententiis, ac teſtimoniis Principem Sapientiae ſtudioſum debere eſſe oſtendit (rem enim ſuam agebat Datus, cum quemadmodum diximus eidem Principi eloquentiae praeceptor eſſet) ad pietatem, & juſtitiam veluti novus Cicero eſt eum cohortatus. Commendavit ad calcem Senenſem Civitatem, uti ſociam atque amicam eam ampleċteretur. Poſteriorem profeċtò ipſe non habuit, nec habere poterat, cum numquam trans alpes egerit; nec quo tem-

tempore peſte eſt correptus, nondum Carolus Octavus in Italiam advenerat. Ad ſtili itaque exercitationem, fortè ab alio rogatus, rem confecit. Collaudatur hìc Rex ab omnium Regum clariſſimo genere, a paterna gloria, a juſtitia, prudentia, magnitudine animi, coeteriſque virtutibus, quae Regum, ac Principum quemque conſequi deberent. Seſe demum, qui eam ad Regem habuit, pluribus commendat.

Ex his omnibus unam itemque alteram recitavit Hieronymus Datus fratris filius, de quo non nihil priori libro meminimus. Alloquutiones profectò, quae in hoc Libro continentur, elegantes dici poſſunt, forenſibus licèt voculis, & aliquando planè barbaris ſcateant. Eae autem praeclariſſimo nobis comprobant teſtimonio per id temporis, quo Italici ſermonis elegantia, ac lepores nulli erant, ſi Eccleſiaſtum conciones ad populum atque imprimis foeminas & ruſticos excipias, in publicis alloquutionibus Italici ſermonis rationem nullam fuiſſe habitam; itaut quocumque tempore vel officii gratia, vel ad ſuadendum pro concione in re graviſſima eloqui opor-

oporteret, Latinum ſermonem fuiſſe plerumque adhibitum conjecerimus. Nec id ſolum, apud Senenſes noſtros, ſed in Aulis Pontificia atque Imperiali, apud Mediolanenſes Principes, Gonzagaeos, Ateſtinos alioſque. Teſtes ſunt ea de re praeclariſſimi Barzizii opera, Aeneae Sylvii, Philelphi, Campani, Politiani Dati noſtri, aliorumque; qui non rarò, vel de praeſtantiſſimis foeminis, publicè Latinè loquentibus, meminerunt (*a*). Quam quidem Lati-

(*a*) Ut coetera omittam author Commentariorum, qui Gobellini nomine circumferuntur, ad calcem ſecundi libri tradit, Hypolitam Franciſci Sfortiae ac Blancae Mediolanenſium Principum filiam, in Conventu Mantuano latinè coram Pontifice oraſſe adeo eleganter, ut omnes qui aderant in admirationem adduxerit. Inclytae Virginis, quam quinquenniò poſt Alphonſus Ferdinandi Regis filius ſibi deſpondit, vidimus ipſi in Bibliotheca Coenobii S.Crucis in Hieruſalem membranaceum Codicem, in quo manu ſua Ciceronem de Amicitia ſeu ni fallor de Senectute exeripſit. Et Baptiſta Malateſta, quam Guido Urbinatum Princeps ſibi deſponderat, cum doctiſſimis viris ſaepe numero & multa latinè loqui conſuevit; oraſſeque itidem latinè coram Pio II. non unus eorum temporum prodit. Quid memorem Genebriam atque Iſottam Nogarolas Veronenſes, & Conſtantiam Sfortiam ac Caſiandram Fidelem, quas pluribus laudat Politianus? Et Senis ut nonnihil de noſtris agamus per idem ferè tempus florùerunt prae coeteris Baptiſta Bertia Achillis Petrutii uxor, & Franciſca Scotta, quam ad ejus tempeſtatis ingenium, Ciccam Senenſem Politianus in ſuis carminibus vocavit. Illam quam formoſam & eruditam appellat Datus in tertio hiſtoriarum, ſummis laudibus effert Aeneas Sylvius in hiſtoria Friderici Caeſaris; dum refert ipſam ad Fridericum Caeſarem atque Auguſtam, Pannonum Regem ac frequenti praeterea Germanorum Principum ac Procerum Conventu, elegantem habuiſſe orationem. Et de Franciſca Scotta, quam ſummo genere & ipſam natam accepimus, cum alii Senenſium Syncroni, tum praecipuè ipſe Datus meminit in priori Epiſtolarum libro; ubi ad Pacificum Maximum, praenobilis Virginis praeceptorem ſcribens, teſtatur in ſplendidiſſimis nuptiis, re-

motis

Digitized by Google

Latinè publicè loquendi conſuetudinem, & apud Florentinos viguiſſe, non ſubobſcurè ſuadere videntur ſollicitudines maximae, quibus de praeſtantiſſimo homine Latinè bene ſcribente in *Cancellarium* eligendo premebantur. Et laudat eos imprimis Aeneas Sylvius, (*a*) quòd eorum *Cancellarii* non Baldo, ſed Tullio & Quintiliano ſtudebant. Profectò, Colucius, Leonardus & Carolus Aretini, Scala, Politianus aliique praeſtantes viri, qui *Cancellarii* munere apud eos floruerunt, non Italicè ſed

motis menſis, eamdem aſſurexiſſe & „ nuptiale quoddam panegyricon & „ dulce & grave ſimul epithalamium egiſſe ea exagitatum copia, decore „ verborum, ſententiarum ſplendore, ea induſtria ſtudioque elaboratum, „ ea vocis cultu moderatione ac veluti modulatione prolatum, ut convivae „ omnes magno quodam ſtupore tenerentur „ ac ipſe imprimis (Datus) profuſius laudaret Virginis cum ſumma eruditione modeſtiam. Quid plura? Adeo per id temporis Senenſes foeminae in amoeniores literas ferebantur, ut non rarò literarii conventus, cum ſeſe daret occaſio, ab eis fierent. Legimus inter alia, cum Senas Baptiſtina Appiana Plumbinenſium Principis uxor veniſſet, praeter lauta atque opipara convivia ac menſarum ſplendorem adjectos fuiſſe „ ſaltatus ac tripudia; & dulce a juvenculis mulieribus „ dulce concinentibus, odarum & carminum melos.

(*a*) Commendanda eſt in multis rebus Florentinorum prudentia, tum maximè, quòd in legendis Cancellariis, non juris Scientiam ut pleraeque civitates, ſed Oratoriam ſpectant, & quae vocant humanitatis ſtudia. Norunt enim rectè ſcribendi dicendique artem, non Bartolum aut Innocentium, ſed Tullium Quintilianumque tradere. Nos tres in ea urbe agnovimus Graecis ac Latinis & conditorum operum fama illuſtres, qui Cancellariam alius poſt alium tenuere: Leonardum ac Carolum Aretinos & Poggium ejuſdem Reipublicae Civem; qui Secretarius Apoſtolicus tribus quondam Romanis Pontificibus dictarat epiſtolas. Illos praeceſſerat Colucius, cujus ea dicendi vis fuit &c. Aen. Sylv. de Eur. c. 54.

ſed Latinè ſcripſerunt. Aurea profectò aetas, qua literarum ſtudioſi, & Etruſci imprimis, ex veterum praeſtantiſſimorum libris, tamquam ex pleniſſimis horreis, lectiſſimum optimarum artium, ſermoniſque elegantis frumentum, non ornatiſſimorum verborum inanem ſonitum & furfurem deſumebant. Non ſtabat vocabulorum Dictatura, ſed pulcherrimarum ac praeſtantiſſimarum artium Imperium. Quoniam non inanium periodorum, ſed Sapientiae ſtudio atque ornamento Itali omnes omnino tenebantur. Sed ad Auguſtini reliqua redeamus.

De Libro Orationum quinto.

QUintus orationum liber octo continet orationes, ſuntque ferè omnes in genere exornativo; ſed earum poſtrema mutila eſt. Primam habuit ad Collegium Juriſconſultorum in funere Loyſii Comparii clariſſimi Equitis, ac Civis Senenſis; qui per id tempus cum Reipublicae Senenſis Legatus eſſet, morbo correptus e vivis exceſſerat. Viri dignitatem oſtendit hìc Auguſtinus, a li-

a literarum ſtudiis, ab ejus in rebus agendis dexteritate, a Magiſtratibus multiſque legationibus, quas Romae, Neapolis, Mediolani non ſemel functus erat.

Altera eſt de laudibus Nicolai Recuperi Magni Xenodochii Praefecti, quam habuit in templo, quod Senenſes dicimus Sanctae Mariae de Scala, dum ejus funerum pompa celebraretur. Poſtquam de morte, ejus neceſſitate, deque felicitate eorum, qui in Domino moriuntur, plura eſt praefatus, hominis ingenium, ejuſque ſanctiſſimae vitae ſpecimen proponit. Argumenta ſunt ab honeſtiſſima juventute; quam in non ſordida mercatura, & honeſtarum artium exercitatione tranſegerat: pietate in Rempublicam, & doctiſſimorum virorum conſuetudine: & ab ejus imprimis ſtudio atque induſtria, in ampliſſimae Aedis, (cui viginti annos praefuit) cultum, pauperumque patrimonium ſervandum atque augendum. Hominem deceſſiſſe nonagenario majorem: elatum illum fuiſſe ad Coenobium S. Bernardini, quod Obſervantiam dicimus, & Petri Ruſſii inſignis Philoſophi ac Theologi auditorem fuiſſe tradit.

Sequitur oratio in funere Mariani Soccini, juris ſuorum temporum conſultiſſimi. Hanc anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Praetorio munere multiſque occupationibus diſtentus, inque ſumma temporis anguſtia, habuit pridie Kalendas Octobris, die Sancti Hieronymi, Bartholomaei Soccini prudentiâ juris clariſſimi, ejuſque fratrum precibus victus. Tantum virum oſtendit nullius prorſus diſciplinae expertem fuiſſe, atque jejunum; itaut in eo illud Laelii uſurpari poſſet, quod nimirum eſſet in omni ſermone ſapiens. Ab ejus quoque fama deſumit laudis argumentum; Nam ex ultimis orbis finibus ſatis prolixè teſtatur innumeros propemodum Senas, tamquam ad bonarum Artium mercaturam veniſſe, ut vel ejus ſapientiam delibarent, aut de uberrimis ejus fontibus lac Sapientiae dulciſſimum haurirent. Animadvertit, planè abs re, ferè per idem tempus Thomam Doccium, Pium Secundum ac Bartholomaeum Piccolomineum vitâ exceſſiſſe.

Ponitur quarto loco oratio in laudem Thomae Doccii Juris Conſulti, quem Doctorem Veritatis Syncroni appellabant. De humanae

vitae

vitae brevitate, atque incommodis plura praefatus, virum ſtatuit ingenio, doctrina, juſtitia, ac probitate clarum, omnique penè virtutis ac laudis genere praeditum. Meritò dici poſſe teſtatur de eo, quod dictum aliquando legimus de Porcio Catone: Eum nempè fuiſſe optimum Oratorem, optimum Senatorem, ac pro optimo Imperatore, optimum legum ac juris Interpretem. Tradit ſexageſimum & alterum aetatis ſuae agentem annum deceſſiſſe: ejus unius famam plurimos vel ex Anglia & Luſitania perduxiſſe: ob ſummam ingenii doctrinam ac probitatis laudem a tenui loco ad maximum gloriae faſtigium evaſiſſe: omnibus planè Reipublicae functum honoribus: foecundaque prole, opibus fortuniſque floruiſſe.

Sequitur quinta in funere Petri Ruſſii Senenſis „ Eminentiſſimi Philoſophi ac Theologi „ Hujus viri, quem aliquando habuerat Datus a Philoſophica inſtitutione, laudes deſumit a pietate in Deum, morum ſuavitate, ac doctrina. Ad calcem ejus literariae haereditatis, accuratiſſimum habetur, ut ita dicam, inventarium; ibi enim quot edidit volumina ordine enumerantur. Ea autem, quae plurima

ſunt, vel temporis injuria ſubſtulit omnino, vel in blattis ac tineis deliteſcunt. Quoquo modo haec ſe habeant, illius laborum numerum ita profert, ut fidem planè ſuperet. Hìc autem praetereundum minimè eſt, nullam haberi mentionem de ejus vita inter Auguſtinenſes, quos vocant Eremitanos; quod quidem a nonnullis, qui hujus Clariſſimi Ordinis hiſtoriam conſcripſerunt, memoriae proditum legimus.

Hanc excipit oratio in funere Bartholi Thurae Philoſophi, ac magni nominis Medici. De doctrinae atque ingenii laude multa praefatus ad Bartholum venit: de medicinae artis dignitate plura affert: doctrinam in aegrotis curandis, ſollicitudinem, ac felicitatem reſque bene pro Republica geſtas in hoc viro collaudat, eumque per eam tempeſtatem longè claruiſſe oſtendit. Tradit octoginta & ſex annos vixiſſe, quorum duo & ſexaginta in ſanandis languoribus: Nepotum gregem utriuſque ſexus vidiſſe: fortunis atque opibus floruiſſe ampliſſimis: & pompam funeris adeo illum aſpernatum, ut vulgi more efferretur, teſtamento juſſerit.

Legitur deinde oratio in funere „ gene-

„ roſi-

„ roſiſſimi Equitis, & integerrimi atque clariſſimi Civis Franciſci Aringherii. „ Hujus genere, ac dignitate nobiliſſimi Civis (de quo ita honorificè eſt loquutus in ſuis epiſtolis Aeneas Sylvius) laudis argumenta deſumit a Sapientia, a dexteritate in rebus agendis, & ab honoribus, quos domi foriſque functus erat. Nam miſſis quos in Patria obierat Magiſtratibus, pluſquam vicies Orator ad Summos Pontifices, Reges, ac Principes, & Reſpublicas profectus erat: Gratiâ plurimum valuerat apud Regem Alphonſum, a quo Joannes Baptiſta ejus filius (*a*) admodum puer militari honeſtatus eſt dignitate: & tandem Romanae urbis Senatoriam dignitatem iterum obtinuerat. Annos teſtatur vixiſſe ſexaginta, gratum Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ac Magnis Principibus: totam pene Italiam ſuis legationibus illuſtraſſe: Societatem cum Venetis pro Senenſi Republica iniiſſe, deceſſiſſeque in urbe totius Italiae opulentiſſima, utilem patriae, utilem ſuis omnibus.

Omnium

(*a*) Hieroſolymitanorum militum Ordini nomen ſuum dediſſe Aringherium, cum teſtantur Syncroni omnes, tum ipſe Datus, qui non ſemel Aringherium, Hieroſolymitanum appellat Equitem. Quocirca mendum in hanc orationem irrepſiſſe, ac pro fratris filio, filium fuiſſe ſuffectum arbitramur.

Omnium poſtrema oratio eſt mutila, & de laudibus agit clariſſimi Poetae, & Oratoris Campani Epiſcopi Aprutini. Hanc tamen ipſe non habuit, ſed vel alterius precibus eam ſcripſit, aut, quod Nicolaus editor non innuit ſubobſcurè, noluit amicum praeſtantem eloquentiâ virum praeconio & laudatione ſua carere. Sunt ferè omnes non inelegantes, copioſae, plenae, ad Rhetorum praecepta exaratae, ſed voculis non rarò ſcatent barbaris, quòd ex Sacrarum Scripturarum Interprete teſtimonia non ſemel deſumantur. Quaedam autem verbis ſententiiſque ſunt adeo plenae, rerumque multitudine adeo conſperſae, ut aliquando redundare videantur.

De ſexto Orationum Libro.

IN ſexto Orationum Libro duodecim leguntur orationes, quae ferè omnes alloquutiones dici poſſunt. Earum ſex ſunt de laudibus Conjugii. Priorem habuit in Palatio, quod dicitur Dominorum, *Signoriam* noſtrates vocant, frequenti clarorum virorum conventu, cum Pantaſileam Nobilem Virginem formo-

formoſiſſimam, Paſchalis Rimbotti Doctoris ac militis filiam, magnificus Eques ac Praetor Senenſis Laurentius Juſtinus ſibi deſpondit.

Habita eſt altera, cum duo Mariani Goſſi Nobilis viri adoleſcentes filii Sponſas ſolemni pompa duxiſſent duas Virgines, moribus, formâ, atque aetate florentes, quas Galgani Burgheſii viri Patricii, ac per eam tempeſtatem non obſcuri Legum interpretis filias fuiſſe accepimus.

Sequitur tertia, quam habuit cum Antonius ex Nobili vetuſtaque Bicorum gente Virginem ex Patricia Bertorum familia natam ſibi deſpondit. Quartam recitavit Hieronymus Datus, cum viro nupſit Angela Data, quam Editor Auguſtini neptem haud Latinè appellavit.

Quae ſequitur ejuſdem eſt argumenti, nimirum de Sanctiſſimi Conjugii dignitate, ejuſque bono. Rei dignitatem honorem atque praeſtantiam non tantùm ex veterum placitis, & Sacrarum literarum teſtimoniis oſtendit, ſed ad ſummam Reipublicae utilitatem, & ad Chriſtianorum mores conformandos probabilibus

libus argumentis maximè dicit pertinere. Nec rarò eorum, qui hac occaſione foedus hoc inierant, mores, laudes, ingenium, nobilitas, aliaque hujuſmodi laudantur.

Sextam habuit, cum nomine publico Eleonorae, Ferdinandi Regis filiae, Senas tranſeunti, gratulatus eſt Datus, dum ipſa ad Herculis Ateſtini Ferrarienſium Principis genialem thalamum properaret. Sanctiſſimum dum hìc laudatur Connubii foedus, inclytae Virgini foecunditatem apprecatur Auguſtinus. Ad calcem poſtmodum Italico quoque ſermone ad eam convertitur, multa adjiciens de ejus dignitate, atque praeſtantia; remque orditur his verbis *Illuſtriſſima Madonna*.

Quae ſequuntur alloquutiones ſunt ad habendas convivis gratias, atque in excuſationem, quòd non ſatis pro diſcumbentium dignitate ſplendidum, lautum, atque opiparum paratum fuerit convivium. Harum unam itemque alteram habuit Hieronymus Datus, de quo ſupra meminimus, cum in feſto Sancti Nicolai, pro conſuetudine Datianae gentis, utriuſque ordinis viri, optimis paratis epulis fuiſſent excepti. Omnia Auguſtini Dati ſti-

lum

lum redolere videntur, non inelegantem ſcilicet, delectuque verborum ſaepe numero ſatis ſpectatum. Si haſce poſtremas alloquutiones excipias, coeterae veterum ſententiis, eorumque exemplis non rarò ſunt conſperſae.

De ſeptimo Orationum Libro.

POſtremus Orationum Liber octoginta circiter continet orationes, quarum maximam partem, ut de aliis ſupra meminimus, alloquutiones dicendas eſſe arbitramur. Plerumque Italico Senenſi ſtilo ſunt conſcriptae. In quibus quidem, ſi delectum verborum excipias, qui ad illius ferrei ſeculi indolem planè eſt, in coeteris modus ſeſe explicandi elegans eſt. Nihil hìc abjectum, nihil humile, ac nulla denique, ut hac tempeſtate contingit, inanis verborum volubilitas. Inſerta ſunt autem iis aliquando, non ſolùm quorumdam veterum teſtimonia Latinè conſcripta, verùm etiam non rarò periodos integras inſitas iiſdem comperies. Ex his Italicis orationibus ſex invenias, in quibus orato-

riae artis legibus aliquo modo ſatisfecit Auguſtinus .

Et prima quidem eſt de laudibus ſacri Connubii, quaeque coeteris Datianis ejuſmodi argumenti orationibus , politior & elegantior eſt. Rationum momenta ab authoritate, atque ab exemplo depromit. Veterum doctrinam concoxiſſe, Sacrorum Bibliorum notitiam, germanum eorum ſenſum, Philoſophiaeque miſteria, quaeque in Matrimonii rem conferunt , Datum penetraſſe, vel ex hac ſola oratione lectori facilè comprobatur . Tanta profectò tamque praeclara, ac precioſa de re Nuptiarum hìc congeſſit Auguſtinus, ut niſi ad calcem, eos qui Sacris ſunt initiati, vel Coenobiticae vitae nomen dederunt, longè Matrimonio implicitis praeſtare dixiſſet, neminem fore crediderim , qui hac oratione Sanctiſſimam ac planè Beatam vitam eam una eſſe non judicaret, quae per Matrimonium inſtituitur .

Sequuntur aliae plures de eodem genere argumenti; in quibus hujus Sacramenti ſublimitas atque praeſtantia mirum in modum repreſentantur. Earum tres ſunt ſatis prolixae; ſed quae poſita eſt numero decimo tertio longiſſi-

giſſima omnium, quae Datus conſcripſit, oratio eſt. Nam ibi Philoſophum, & Theologum agit fuſiſſimè: viri & mulieris ad invicem officia proponuntur, eorumque vitae propoſitum, magnitudinem atque dignitatem oſtendit. Plura praeterea profert, quae cum utriuſque juris prudentia, tum re Theologica pollentem hominem produnt. Quaeritur hìc inter alia, quare matrimonium cognatos inter iniri nequeat: Quare ſponſae ad veterum Graecorum, ac Romanorum ingenium annulum in eo digito, qui minimo eſt proximus gerant. Ad calcem dum foeminas cohortatur, uti viris morem gerant, eiſdemque obſequantur, Artemiſiae exemplum, ſi hiſtoria eſt, ſatis fuſè proponitur.

Ex coeteris, quas diximus de bono Connubii orationibus alteram, quae ordine quarta eſt, habuit Auguſtinus, cum Thomas Michaëlius Catharinam (*a*) Spinelli Piccolominei filiam ſibi deſpondit. Aliam, quae eam ſequitur, recitavit Hieronymus Datus decemnis, cum Angela ſoror Patricii generis viro nupſit. Quae eſt ordine ſeptima, quaeque ſatis prolixa eſt, in frequenti nobilium virorum coetu ad duos lectiſſimos ſponſos, qui Pii Se-

(*a*) Hanc Catharinam Piccolomineae arboris compoſitores praeterierunt.

cundi Pontificis cognati erant habita eſt.

Has excipiunt decem & ſeptem alloquutiones, quas pro veteri conſuetudine habuit, cum ſtatis temporibus novi Magiſtratus decretum ineunt honorem. Eae omnes, cum idem conſilium habeant, atque propoſitum, plerumque de iis agunt, quibus pollere debent, qui civitatibus liberis, praeſunt. Juſtitia, pax, civium concordia, recta Reipublicae adminiſtratio, atque vivendi methodus non rarò laudantur; daturque opera, ut Sanctae Mariae, aliorumque coelicolarum praeſidium, qui publicis praeficiuntur rebus, multa prece ſibi concilient.

Tres quae ſequuntur ſunt ſatis longae, aguntque de Republica ad S. P. Q. S. argumenti gravitate, ſapientiſſimis veterum ſententiis, & verborum plerumque delectu ornatiſſimae. Ex Sacris Bibliis, Sanctorum Patrum, ac veterum Philoſophorum placitis, qualis debeat eſſe Reſpublica oſtenditur: qui Magiſtratus adlegendi, qui cives praeficiendi, qui mores diligenter coercendi, quae virtutes fovendae, quod denique bonum perſequendum. Dignae profectò res ſunt, quas

non

Digitized by Google

non ſinè uberrimo Reipublicae foenore ii legerent, qui funguntur Magiſtratibus. Virtutum dubio procul ac pietatis imprimis & juſtitiae exemplum, ipſa vivendi ratione, civibus darent.

Eſt & alia, quam Praetor Maſſanus habuit, cum primùm novus Maſſanae Eccleſiae Pontifex Sacrorum illum Magiſtratum inivit. Hìc poſtquam de Maſſanae Civitatis laudibus nonnihil egit, ad Senenſium in eos benevolentiam ac voluntatem venit: de dignitate agit ſuffecti Epiſcopi, quem Paulus Secundus Maſſanorum Sacris praefecerat; meminitque poſtremò de eo maximo beneficio, quod Indulgentiam Chriſtiani vocamus, quodque Pontifex per eos dies eiſdem Maſſanis contulerat; & demum multa prece orationi ſuae, quam in Templo illius Civitatis maximo habuiſſe traditur, modum poſuit.

Extant quoque aliae quatuor alloquutiones, quae uti jam diximus, patrio more haberi conſueverunt, cum novi Magiſtratus inſignia & regimen ſuſcipiunt. Et octo praeterea ſunt alloquutiones, quibus ubi Senatus coactus eſt, ratioque gerendorum negociorum eſt proponenda

nenda, monentur cives de juſtitia, pietate, atque in Rempublicam, qua tenebantur fide.

Quatuor inſuper ſunt, quorum prima nomine publico Orator Senenſis novo Pontifici gratulatur, de Suprema Sacrorum obtenta praefectura. Altera & tertia grates eidem referuntur de collato beneficio, ejuſque ſocietas atque amicitia petitur. Et poſtrema demum eumdem advenientem, Magiſtratuum nomine Legatus excipit. Sunt quoque plures pro Legato Civitatis ad Cardinalem, publico nomine officii cauſa inviſendum: Pro templorum minorum Rectoribus ad gratias Sacrificulis habendas, quòd feſto die convivium haud ſplendidum, neque pro dignitate paraverint, proque Sacrificulis ipſis ad gratias iis agendas, qui adfuerant cum primùm fecerunt ad Aram.

Sunt praeterea plures pro Senenſium Magiſtratuum Oratoribus ad Principes, & Reſpublicas. Nam cum Reipublicae Datus a conſiliis atque epiſtolis eſſet, non ſolùm Oratoribus praeceptiones, quas inſtructiones vocant conſcribebat, ſed etiam vel ipſas, quas pro eorum temporum ingenio habere debebant orationes, conficere conſuevit. Sunt duae inſuper oratio-

orationes ad Bononienſem Praetorem pertinentes, quas neſcio quo pacto conſcripſit Datus; niſi fortè rem pro amico Senenſi Cive illuc ad Praeturam proficiſcenti conſcripſit. Sunt poſtremò alloquutiones aliae de diverſo argumenti genere. Verùm omnes non inveuſtae, & temporum indolem mores, & inſtituta apprimè repreſentant.

De Epiſtolarum Libris.

EPiſtolarum Libri ſunt tres. Horum prior eas continet, quas ad amicos ſcripſit, cognatos, claroſque pietate, & ſapientia viros. Hunc excipiunt epiſtolae, quae nomine tantùm epiſtolae ſunt, ſed re vera diſſertationem continent, vel reſponſionem ad literariam quaeſtionem, vel orationes in alicujus rei laudem. Poſtremus eas complectitur epiſtolas, quas Scriba dum eſſet Reipublicae, Senenſium nomine ad Romanos Pontifices dedit, Caeſarem, Magnos Principes, Rerumque publicarum magiſtratus. Inſeruntur autem non rarò quaedam ad eos, qui in Senenſium ditione rerum adminiſtrationi praeficiebantur.

Digitized by Google

De primo Epiſtolarum Libro.

CEntum & quinquaginta circiter habentur hìc epiſtolae, nulla temporis, locique nota conſcriptae. Ea profectò uſus eſt in iis colligendis negligentia Nicolaus Editor, ut aliquando eamdem epiſtolam, duplici exemplo exaratam, ſemel & iterum in hac editione invenias. Earum nonnullae clariſſimis genere, dignitate, & literarum praeſtantia viris inſcribuntur. Suntque ad Summos Pontifices, Franciſcum Piccolomineum, Proſperum Columnium, alioſque Cardinales. Sunt ad Principem Urbinatum, Bartholomaeum Scalam, Laurentium Pariſienſem, Joannem Florentinum diſcipulum ſuum, Petrum Stephaniſtam Hiſpanum, Nicolaum Tanchedinum Mediolanenſium Principis oratorem, Venantium Amerinum, Joannem Sartium, Hieronymum Caſtellum Philoſophum ac Medicum, Joannem Lucenſem, Pacificum Maximum, Jacobum Pontecurvanum, Baverium Bononienſem Medicum, Leandrum Aldobrandinum, Marcellum, Nicolaum Vercellenſem, Franciſcum Philelphum, Epiphanium, alioſque praeclariſſimos viros. Plu-

Pluribus etiam Senenſibus alicujus nominis ſcriptitavit Datus. Nam plures hìc leguntur epiſtolae ad Andream Capaccium, Thomam Rimbottum, Nicolaum Burgheſium, Guidonem Piccolomineum, Andreoccium, Bartholomaeum, & Galganum Petruccios, Mathaeum Thomaſium, Franciſcum Patricium, Leonardum Benevolentium, Dominicum Biliottum, Dominicum Clancianenſem alioſque.

Sunt quoque quamplures ad Nicolaum parentem optimum, quae plerumque ad rem pertinent familiarem. Coeterum ſi has domeſticas literas excipias, argumenta de re literaria ſunt ferè ſemper; ut de vera ac faciliori addiſcendae Latinae linguae methodo, deque ratione, quam is adhibere debet, qui viri principis filium literis ac moribus imbuendum ſuſcepit: Quare diutius in Philoſophorum, quàm in Rhetorum inſtitutis fuerit verſatus: cur ad Hebraicas literas diu intermiſſas animum iterum adjecerit, & Philoſophiae ſedulam iterum ſit navaturus operam. Nunc de alicujus ingenio atque etiam ſcriptione profert judicium, deque doctrina, & ſapientia alterius: modò etiam ami-

Digitized by Google

cis jam impoſuiſſe, aut ſeſe quamprimùm impoſiturum cuidam ſcriptioni manum ſupremam renunciat.

Sunt quaedam, quae ad amicorum res pertinent; his enim eos non raró amicè monet de eorum moribus planè corruptis; ſummaque ope nititur, uti ad bonam, ut ajunt, frugem revocentur: aliquando uti deſipientis viri injuriam ſpernant: eorum etiam non ſemel negocia alicui commendat, quò facilius, ac meliùs perficiantur: modò eorum virtutes atque ingenium collaudat, aut eiſdem de obtentis honoribus gratulatur.

Quaedam etiam hìc habentur epiſtolae, in quibus occaſionem nactus, graviſſimum argumentum nec ſinè laude pertractat; agit etenim nunc de juſtorum morte, modò de miſeria humanae vitae, & quandoque de Baccanaliorum hiſtoria atque inſtitutis. Sunt quibus Reipublicae conſulit, commendans amicis Senenſes Legatos, ut Patriae ſuae apud alios Magiſtratus bene, commodèque opem concilient.

Epiſtolarem ſtilum ferè ſemper hìc adhibuit Auguſtinus. Veterum carminibus, at-

que

que hiſtoriolis non ſemel has conſperſit ſcriptiones. Et placuit profectò hunc librum ſemel iterum ac tertiùm percurrere, cum quòd ad ejus vitam, reſque geſtas conſcribendas, multa ex eo me habiturum ſatis perſpicerem, tum etiam quòd plurimae hoc loco inveniuntur aliorum epiſtolae, & clarorum quidem virorum, in iiſque Franciſci Cardinalis Senenſis; per quas vel Auguſtino reſcribunt, aut vel ultro ipſum ad ſcribendum laceſſire videntur. Sunt & in concilianda ſeu ineunda ejus amicitia, aut iiſdem ipſius judicium de re aliqua expetunt, vel anteactorum memoriam renovant, aut de rebus agunt, quas hìc operae pretium non eſt recenſere. At harum epiſtolarum Franciſci Piccolominei Cardinalis Senenſis ſunt duae, Laurentii Pariſienſis tredecim, Bartholomaei Scalae quinque, & aliorum plurium non paucae. Dederat profectò plures, cum ad cognatos, tum ad amicos ſuos literas Datus; quoniam non ſemel de ſuis epiſtolis meminit, quas temporum injuria, literarum Imperio planè exitialis poſteritati ſubduxit.

De ſecundo Epiſtolarum Libro.

QUinque & viginti continet hic liber epiſtolas; ex quibus, ſi unam excipias, quae officioſas animi ſignificationes continet, quamque dormitans Nicolaus editor in priori libro collocare debebat, nulla eſt, quae non proferat epiſtolae fines, quòd ſingularum pars maxima libri potius, quàm epiſtoſtolae rationem habere arbitramur.

Prior eſt ad Amicum amoribus Chriſtiana inſtitutione vetitis, inſanientem. Philoſophorum primùm teſtimoniis, tum veterum poetarum, & Terentii imprimis, Tibulli, atque Propertii exquiſitis carminibus foeminei ſexus amatores, eorumque levitates hîc maximè perſtringuntur. Unius Propertii decem loca afferuntur.

Altera, quae ſupra modum prolixa eſt, Alexandro Bononienſi Monaco Dominicano, Theologo atque Eccleſiaſti eximio inſcribitur, quem patrem ſuum appellat, ac vivendi magiſtrum. In ea de optima bene vivendi ratione ad Pythagorae & Iſocratis mentem agitur. Poſtquam Pauli, & Sanctorum quorumdam Patrum

trum exemplo oſtendit Datus Chriſtianum minimè dedecere, ut in iis, quae ad mores noſtros & inſtituta pertinent, etiam de Ethnicorum placitis rationem habeamus, ad rem venit. Ad Pythagorae primùm, tum ad Iſocratis nonnulla praecepta deſcendit, eorumque ſingula expendit. Eadem cum Chriſtianorum praeceptis inſtitutiſque aliquando confert, eidemque tandem Hieronymo pollicetur, plurima in hanc rem ſcripturum, ſi iis delectaretur.

Ad Franciſcum Patricium tertiam ſatis longam ſcripſit, cum ſibi virgunculam deſpondit forma, genere, moribus, fortunaeque bonis florentiſſimam, Antonii viri Patricii filiam. Alteram hìc veluti orationem habemus de Conjugii laudibus, quam ſententiis delectuque verborum non minimi faciendam putarim. Quas in viris, quaſque in foeminis virtutes ad Connubium requiſiverint veteres, hìc pertractatur: lectiſſima veterum exempla afferuntur, quaeque in contrarium faciunt accuratè Auguſtinus noſter refellit; oratque ad calcem Immortalem Deum, uti felices cum uxore Patricius exigat annos, videatque filios & pignora cara nepotum.

Quae

Quae ſequitur quarto loco epiſtola meditatio eſt ad Gerium Bulgarinum, deque temporis precio agit. Rebus publicae, domeſticae, atque literariae conſulturus Gerius nullam vel ſubſecivam temporis particulam labi inanem patiebatur. Hanc ſolertiam laudat Datus, virique praeſtantiam, ingenium, Reipublicae adminiſtrationem & ſapientiam ſummis effert laudibus. Utque rem gratiſſimam homini faciat, appoſitè loquens de temporis qua tuebatur parſimonia, librum ſcribit de tempore, in quo ejus originem, ſubſtantiam quam vocant, differentiam ac diſtinctionem perſtricturum pollicetur. Sed vix, ac ne vix quidem de origine ac ſubſtantia ſatis agit, cum ex tota ſcriptione particula ſolùm ſuperſit; in qua omnium Philoſophorum ac Poetarum, ad tempus quod attinet, ſententiam collegiſſe conjecimus.

Hanc excipit epiſtola ad Fabianum Equitem Hieroſolymitanum de Philoſophiae inventione, atque origine. Satis protrahitur haec ſcriptio; eſtque veluti liber, in quo hiſtoricè de Philoſophorum ſerie, diverſis eorum Sectis ac diſciplinis, deque iis, quae extrinſecus pertinent

tinent

tinent ad hanc planè Divinam facultatem. Cum Somnium Scipionis & Ariſtotelis Politicorum libros publicè explanaſſet Datus, plura Fabianus acceperat, quae ad Philoſophiae genera, variaſque Sapientum diſciplinas pertinebant. Quo circa ne, quae coram audire licuit, temporis diuturnitas deleret, Datum rogavit, uti ea de re non nihil memoriae traderet. Morem itaque amico geſturus Datus, ab ovo, ut Graeci ajunt, rem cenſuit repetendam. A rei occaſione incipit atque propoſito; tum ad ſingulas quaſque nationes venit, quae philoſophiae gloriam atque inventionem ſibi vendicant, ejuſdemque rei principes authoreſque ſe eſſe gloriantur. Ad Philoſophorum deinde ſeriem deſcendit. Thaletem omnium primum ſtatuit. Quae ad ejus ac coeterorum ſex Sapientum hiſtoriam pertinent, breviter, accuratè atque ordine proponit. Tum, qui his adiici ſolent, Philoſophos praeſtantiſſimos enumerat; atque unde haec omnia, quae de ſingulis protulit acceperit, quaeque de iis certò ſtatui poſſit, ſatis diligenter prodit. Philoſophiae poſtmodum genera aggreditur variaſque Sapientum diſciplinas; Quod

qui-

quidem maximè Fabianus flagitarat. Sectarum ſingularum originem, Principes, propoſitum, conſilia, philoſophandi materiem atque principia, quantùm libelli anguſtia ſinit, ſatis expendere videtur. Ad numerum quod attinet, nec Varronis multitudini, nec quam Hippobotus putavit paucitati aſſentitur; ſed decem Philoſophorum Sectas, & cujuſque earum Principes ſtatuit. Ad Philoſophiae partitionem quod ſpectat, alio loco ſatis explicaſſe teſtatur; cujuſque rei & ipſi ſupra meminimus. Digniſſima lectu res eſt, quam percurriſſe ſemel vel iterum, eos non poenitebit, qui Philoſophicae hiſtoriae ſtudio maximo, homineque ingenuo digniſſimo tenentur. Hac de re meminit Datus in ſequenti epiſtola, quae eſt hujus ejuſdem elucubrationis, veluti breviarium ad Dominicum Biliottum ſuum, cui inſcribitur.

Sequens de genuino ſenſu eſt Terentiani illius in Andria „ Ego neutiquam officium „ liberi hominis eſſe puto, cum is nihil pro- „ mereatur poſtulari id gratiae apponi tibi „ Statuitque Poetam voluiſſe ſignificare non eſſe officium ingenui hominis ut gratiam repo-

ſcat,

ſcat, quam non mereatur; Quòd nimirum gratia rependitur pro accepto beneficio.

Sequitur epiſtola ad Cardinalem Senenſem; in qua ſatis diligenter veterum ſententiae de *ſportulis*, & *lixis* perpenduntur. Aliam ad Andream Piccolomineum ſcripſit, qua ex Chriſtophori illius avunculi immatura morte, occaſionem nactus, Chriſtiano homini ſatis fusè oſtendit non eſſe ulla, vel maxima ratione, lachrymis indulgendum, cum cognati mortem oppetunt. Plurima eaque optima hìc collecta habes, ad contemnendam cognatorum mortem.

De animae immortalitate Liber dici poteſt ſequens epiſtola ad Bartholomaeum, quem dicit, Jeſu Chriſti ſervitio conſecratum. Bartholomaeum Benevolentium genere, vitae ſanctitate, atque doctrina praeſtantiſſimum hunc arbitror, quem meritò Jeſu Chriſti ſervitio conſecratum appellat, quòd Eccleſiae Senenſis Canonicus eſſet. De eo non ſinè ſumma laude meminimus in actione contra Poeſeos artem. Hujus itaque cohortationibus „ omiſſis „ veteris ac novae legis, Sanctiſſimorumque „ Patrum in hanc ſententiam teſtimoniis „

 Phi-

Philoſophorum de animi perpetuitate ſententias, ac placita hìc collegit Datus. Optimum, elegans, ac numeris planè abſolutum dici poteſt opuſculum. In quod penè omnem intulit ſuccum eorum, quae ex veterum placitis in hoc praeſtantiſſimo meditationis genere excogitari poſſunt. Nec deſunt non nulla, quae ab humana ſolùm ratione deſumpta videntur.

In epiſtola undecima ad Guidonem Piccolomineum, de diſcordia agitur Philoſophorum, deque concordia, atque utilitate Divinarum Scripturarum. In ea de humanae Sapientiae Philoſophiae vanitate, deque incoſtantia in principiis rerum perveſtigandis accuratè, atque ſatis fusè agit. Plurium veterum placitis, praeſtantiſſimorum veterum placita opponit; & ſolis Bibliis ad calcem vacandum eſſe contendit, quòd in iis ſolis veritatem omnem perpetuamque habeamus. At eorum harmoniam, atque conſtantiam laudat potius quàm oſtendat. Sed tantae molis non erat epiſtolae pars minima.

Sequens eſt ad Evangeliſtam Salviatum, quicum neceſſitudo a condiſcipulatu interceſſerat.

Huic

Huic ampliſſimum omnium magiſtratum Senis obtinenti, qui & quales debeant eſſe rerum publicarum Rectores ſatis diligenter exponit.

Quae ſequitur eſt de literarum ſtudiis, deque multiplici hominum vitae ratione; Ubi decernitur in omni vitae genere, & fortuna, ad Sapientiam ac laudem eſſe mortalibus toto pectore incumbendum.

In ſequentibus quinque epiſtolis Editor, contra quàm fecit in coeteris, quae in hoc libro continentur, nullum argumenti indicium, atque epigraphem ſcripſit. Harum prior eſt de pietate, atque miſericordia ad Joannem Pium Sacerdotem. Cum in Clarorum virorum conventu ſermo in rem literariam incidiſſet, coorta eſt contentio, de pietatis ac miſericordiae natura, deque animi ab anima differentia. Cumque lis, ut fieri conſuevit, protraheretur ferveréſcetque, Joannes hic Pius Sacerdos, qui rei fortè intererat, Datum rogavit, iis de rebus, quid ipſe ſentiret patefaceret. Hic itaque amici ingenio ultro obſequuturus hac epiſtola de pietatis, atque juſtitiae natura differit. Ad illam quod attinet Ciceronis

Lactantii, Auguſtini aliorumque loca expendit; ſed Ciceronem imprimis conatur oſtendere, cum coeteris non ſolùm ſentire, ſed perpetuò eadem ſenſiſſe, licèt parum hac in re ſibi conſtitiſſe, videatur. Pietatem ſtatuit nihil aliud eſſe, quàm amorem vehementiſſimum, quo Deum Patriam Parentes propinquos amicoſque gradatim proſequimur. Veterum deinde placita de miſericordia proponit: eorum nonnulla cum coeteris confert: arbitraturque eam eſſe virtutem laudabilem, & humanitatem quamdam humano generi neceſſariam. At non ſolùm miſericordia, ſed multae aliae virtutes ſunt, quas laudabiles credimus; nam non eſſent virtutes ſi laudabiles non eſſent, & humano generi utiles ac neceſſariae. Ad animi ab anima differentiam pauca admodum profert; teſtaturque ad calcem „ diſſerere ea ſubtilius alterius & „ temporis & contemplationis eſſe „ Optimam profectò ac divitem nactus dicendi ſcribendique materiam, plurima Dato ſeſe offerebant, in quae Doctrinae nervos intendere potuiſſet ſuos.

Altera quoque eſt ad venerandum Sacerdotem; in qua per multa dicit de mendis, quae in

in Sacros Libros irrepſiſſe per eam tempeſtatem nonnulli arbitrabantur ; germanamque inquirit lectionem Davidicorum verborum „ Lavabo inter innocentes manus meas „ De qua quidem re Bartholomaeus Bonoinſignis, quòd cuidam concertationi hac ipſa de re interfuiſſet, ſacrificulum illum ſe indoctiorem, & hic praeterea, ut eidem reſponderet, Datum ipſum conſuluerat. Verùm quemadmodum in ingenuorum virorum confabulationibus contingere ſolet, fuit & clarus legum Interpres, qui per Nicolaum Burgheſium eruditum, ac ſapientem adoleſcentem de ſenſu illorum eorumdem verborum Auguſtinum conſuluit. Iccirco de eodem verſiculo agit in ſequenti ſatis longa epiſtola ad eumdem clarum legum Interpretem. Graecorum, & Habraicorum voluminum quam plura ſe conſuluiſſe contuliſſeque fatetur, quò veritatem tutius poſſet aſſequi. Ex his duabus epiſtolis ſatis apparet, Datum noſtrum non ſolùm Hebraicè Graecèque fuiſſe peritiſſimum, verùm etiam Sacras Literas, & in eaſdem, quae veteres ediderunt commentaria, percalluiſſe. Verba plura aliquando hìc deſunt, quibus conſcribendis ſupplendiſque

ſpa-

ſpatium reliquit Editor . Contigiſſe autem arbitror, quòd ille Auguſtini patris caracteres in Autographo non fuerit planè aſſequutus. Nam cum aliquando Davidis locum illum ,, Non ſedi in concilio vanitatis ,, attuliſſet; & oporteret ea quae ſequuntur verba adjicere, nimirum ,, & cum iniqua gerentibus ,, non introibo ,, rem tali pacto per typographum exaravit ,, Et cum ini....ger...; quae quidem & alia plura, quae in tota collectione occurrunt, quilibet, minus quàm mediocriter doctus, ſupplere potuiſſet.

Quarta ad praeclariſſimum Oratorem locus Hieronymi ad Deſiderium exponitur. Cum Orator hic preclariſſimus, qui in Sanctorum Patrum operibus eamdem incudem ac Datus diem noctemque tundebat, aliquando peracta cum hoc amico ſuo deambulatione, in veſtibulo aedium, ut amici conſueverunt, conſtitiſſet, in Hieronymi opera, quae utriuſque delicias Datus appellat incidit ſermo, & in locum praecipuè epiſtolae ad Deſiderium, qui Oratori illi praeſtantiſſimo intellectu difficilis videbatur. Amico itaque, pro ſua ingenii facilitate, morem geſturus hanc epiſtolam

per

per noctem eidem ſcripſit, qua in eadem re quid ipſe, in Hieronymi libris diligenter perpenſa, ſentiret patefecit. Hieronymi autem locus hic erat „ Judaei prudenti dicunt factum „ eſſe conſilio, ne Ptolemaeus unius Dei „ cultor etiam apud Haebraeos duplicem Di- „ vinitatem deprehenderet, quod maximè ic- „ circo faciebant, quia in Platonis dogma ca- „ dere videbantur „ Germanum hujus loci ſenſum teſtatur Auguſtinus eſſe: Septuaginta Interpretes eo conſilio, & quidem prudenti, non nulla in Sacrorum Bibliorum verſione praeteriiſſe, quae Deum Patrem, & Filium duaſque Trinitatis Perſonas ſignificarent, ne fortè rem Ptolemaeus longè aliter interpretaretur, inque malam partem acciperet: Deorum quam dicunt pluralitatem conjiceret: & ita ipſorum Hebraeorum legis teſtimonio animus Principis non ſolùm a grege Deorum non deterreretur, verùm novis complicaretur erroribus. Hanc ſui ſententiam Auguſtinus Datus probabilibus comprobat argumentis.

Poſtrema tandem eſt de genuino illius verſiculi ſenſu „ intellectum tibi dabo, & „ inſtruam te in via hac, qua gradieris „ oſten-

oſtenditque regium pſaltem, mentis facultatem petiiſſe, donum diſciplinae & ſcientiae, viam bene vivendi, bonorum operum exercitationem, & in bonis operibus atque in lege Domini perſeverantiam. Quibus omnibus comprobandis, ſi Lactantii locum excipias, unius Sacrae Scripturae teſtimonia, adhibentur, horumque cum Davidicis verbis ſit collatio.

Has omnes excipit interpretatio, ſeu ſatis longa epiſtola ad Petrum Bulgarinum, in qua dilucidè locus Ariſtotelis explicatur, qui his verbis ex duplici verſione initiò epiſtolae affertur „ Ideo verè enunciaverunt bonum, „ quod omnia appetunt ſeu ut alius vertit, „ quapropter bene oſtenderunt ſummum bo- „ num quod omnia appetunt „ De hujus loci explanatione Bulgarinus percuntatus erat Datum; qui Amico, quem vocat doctiſſimum, aegrè admodum paruiſſe principiò hujus epiſtolae teſtatur. Itaque non quid vetus, aut novus interpres ſenſerit, ſed Ariſtotelis mentem paucis patefacere pollicitus, ad rem venit. Ariſtotelis in Politicorum libris conſcribendis conſilia diverſa, & graecorum verborum vim expendit. Sub haec nonnulla affert,

ſert, quae Scholaſticorum naenias redolent planè, dicitque tandem eorum verborum ſenſum eſſe, ut cum dicitur bonum eſſe quod omnia petunt, quodcumque demum id bonum ſit, illius eam rationem eſſe, ut illud omnia appetant, ſive felicitas ſit, ſeu aliud quidpiam: neque illuc ſeſe ad ullum ſingulare bonum rationem boni *terminare*, nec ullis prorſus finibus circumſcribi. Haec omnia quid ſibi velint alii cogitent. Multa deinde adiicit de Interpretum ac verſionum vitiis, deque felicitatis bono, quae optima ſanè ſunt, ac lectu digniſſima, licèt hujus epiſtolae pars prior, Scholaſticorum quam dixerim ſtribliginem, ſcateant.

Ad Laurentium Venturinum, olim in Magiſtratu Collegam ſuum, inſcribitur altera; quam de celeberrimo veteri dicto NOSCE TE IPSUM agere collectionis Editor teſtatur. Non epiſtolam profectò, ſed maximarum rerum commentarium hac in re inſtituit Datus. Nam cum aliquando, ut ſupra diximus, Bibliothecam ſuam veluti ludum aperuiſſet, patuiſſetque diu vel in ſingulas horas lectiſſimis adoleſcentibus, quos ut „ quiſque

„ quod in mentem veniſſet percontaretur „ fuerat cohortatus, hinc contigit, ut communicando crebrius diſceptandoque, poſtquam ii inclinata jam die abirent, anguſtis furtiviſque noctium temporibus, optimos ac precioſiſſimos foetus, quos in eorum conventu pepererat, memoriae tradiderit. Cum autem Laurentius Venturinus, cujus doctrina ac nominis gloria hìc pluribus laudatur, ampliſſimi tunc Magiſtratus occupationibus diſtentus, rei haud intereſſe potuerit, conſtituit Auguſtinus quas, ex actis commentationibus ac diſceptationibus, conducibiliores duceret, in volumen redigere, idque eidem Laurentio inſcribere. At temporum injuriâ, quae Muſarum precioſiſſimam ſupellectilem prorſus delere, fundique literarii calamitatem perpetuò eſſe conſuevit, operis ſolùm particula, & fortè minima ſupereſt; ita ut nec hujuſce unius diſceptationis integrum commentarium habeamus. Ea itaque diſceptatio eſt de vero ſenſu celeberrimi illius „ noſce te ipſum. „ Ab ejus hiſtoria rem orditur: diſquirit num Apollinis ſit, vel Thaletis Mileſii, aut Lacedaemonii Chylonis, (*a*) qui id ſibi vindicarunt. Tum ad

(*a*) Femonae doctiſſimae olim foeminae illud fuiſſe Antiſtenes credidit.

ad rem venit. Macrobii ſententiam primùm affert, quae ea eſt, ut cogitationem planè perfectam animae tributam arbitretur, ſi undè orta, quove ſit fonte profecta, recognoſcat. Tullianam deinde ſententiam proponit, atque ex ejus verbis huc illatis, conjicit ipſum fuiſſe arbitratum, ſe ipſum noſſe aliud non eſſe, quàm animum ſuum intelligere; tantamque praeterea eſſe animi dignitatem, ut idem homo, & animus hominis videatur; cum corpus ſolùm ſit animi receptaculum, ejuſque definitum domicilium. Hanc ſententiam pluribus, iiſdemque probabilibus argumentis oſtendit. Sub haec nonnulla recentiorum Peripateticorum afferuntur; quibus praeter alia Platonis ideas, ſeu ſpecies illas naturalium rerum, quae per ſe ſubſiſtunt, ſuntque penitus materiae expertes, refellere ac delere arbitratur. Tum in Petri Ruſſii Senenſis ac Ferdinandi Cordubenſis praeclariſſimorum Philoſophorum, a quibus haec dubio procul hauſerat, laudes excurrit. (a) Poſtmodum ſuam ſen-

(a) De Ferdinando Cordubenſi ſaepe numero, nec ſinè ſumma laude meminit Datus in ſuis operibus. Sed potiſſimum in praefatione ad ſeptimum librum de animi immortalitate. Quoniam hìc hiſtoriolam pertexit de ejus praeſtantia in re Philoſophica, teſtaturque inter alia vidiſſe illum & audiſſe in

tentiam atque Ariſtotelis ſcripta aggreditur; dumque ad haec toto tempore feſtinare videtur, deficit commentarium. Temporum injuria ut diximus ſola totius operis particula ad nos uſque pervenit. Omnia ex veterum placitis congeſta huc ſunt argumenta; & Lactantii, Auguſtini, Bernardi, Thomae Aquinatis aliorumque Chriſtianorum teſtimonia hìc inſerta habemus.

Hanc mutilam ſcriptionem excipit epiſtola; in qua nonnulla Boetii carmina declarantur ad Bernardinum quemdam, qui iis de rebus Auguſtinum Datum conſuluerat. Carmina excerpta ſunt ex libro de Conſolatione Philoſophiae.

Sequenti epiſtola ad Guidonem Piccolomineum agit de natura, fortuna, & fato, quidque ex veterum doctrinis de iis ſentiat exponit. Hujus pars maxima periit. Lectiſſima veterum ea ſuper re in hanc epiſtolam intulit Datus: Graecorum loca Latinè ac Graecè attulit,

in Templo Senenſium Maximo, quaſi novum Gorgiam Leontinum ad omnia reſpondentem, quae in quovis rerum genere eidem proponerentur: Adfuiſſeque utriuſque juris conſultiſſimos, medicinae, eloquentiae, matheſeos ac Theologiae profeſſores percelebres, eumdemque unum Petrum Ruſſium diſceſſiſſe ab eo ſuperiorem; qui de ſententia Ariſtotelis ſuper animi immortalitate nonnihil in medium protulerat.

tulit , & Franciſci Maironii ſententiam de triplici mortis genere diſquirit .

Decemviros Senenſis Reipublicae docet altera , quid oporteat eos agere , qui Magiſtratibus praeſunt . Ad virtutes omnes capeſſendas Magiſtatus hìc cohortatur , ſed ad juſtitiam imprimis , ac *taciturnitatem* , qua fideliter arcana Reipublicae ſervantur . Ex hac una quid in Republica adminiſtranda valuerit Datus deprehendi facilè poteſt .

In omnium poſtrema cariores diſcipulos edocet de modo atque menſura , quae in optimis ſcientiis ac praeſtantiſſimis artibus perdiſcendis eſt adhibenda . Quod quidem juxta illud „ ne ſis juſtus nimis „ etiam in juſtitiae virtute excolenda adhibendum cenſet , ne videlicet ſumma virtus vertatur in vitium , & nimietas ut ita dicam , culpam faciat .

In epiſtolis , quae in hoc libro continentur , ſtilus aliquando familiaris eſt ; ſed cum graves aliquando , & plenae rerum ſint , non rarò attollitur pro argumentorum nimirum dignitate ; nec ſemel , quemadmodum diximus , verae abſolutaeque diſſertationis rationem ſcriptiones iſtae praeſeferunt .

Digitized by Google

EPiſtolarum collectionem hìc habemus , quas Datus , cum Reipublicae Scriba eſſet , publico nomine ad ſummos utriuſque Ordinis viros ſcripſit , ad Principes nimirum , Reſpublicas ; & alios praeterea , qui aut Senenſium rebus in aulis Principum praepoſiti erant , vel eorum qui Senenſium Civitati dicto audientes eſſe cogebantur , aut Praeturam apud eoſdem obtinebant . Initiò totius Libri prodroma eſt epiſtola ad Laurentium Bonoinſignem , in qua prolixè ſatis ad inſcriptionum quod attinet , & ſubſcriptionum formulas conſcribendarum pro Republica epiſtolarum ratio decernitur;& cujuſlibet generis virorum in utroque ordine , utque dicimus Eccleſiaſtico & ſeculari , ratio ſingularis oſtenditur . Pluribus hìc ſuadet Datus in communi hominum uſu , & populorum frequentia , quam vulgus & multitudo probat , ſervandam eſſe conſuetudinem . Proinde cum per ea tempora vetus conſcribendarum epiſtolarum ratio receſſerit planè , & abſtractis , ut vocant nominibus ac vocibus , homines praeclaros viros

ac

Digitized by Google

ac Principes compellarent, ad hujus temporis indolem ſeſe accommodare in epiſtolis conſcribendis oportebat. Scitè enim monuit Favorinus, praeteritis moribus vivendum, verbis praeſentibus loquendum. At mirari non ſatis deſino Datum, alioquin in veterum monumentis multùm & ſaepe verſatum, uſum abſtractorum nominum, cum non obſcuros viros alloquimur, novum ac per id tempus commentum credidiſſe (*a*); cum tot quinti, ſexti, & ſequentium ſeculorum ſuperſint *conſtitutiones*, epiſtolae, aliaque hujuſmodi monumenta, ex quibus praeclariſſimè accepimus Romanos Principes dum Provinciarum Praefectos compellant, abſtractis, *circumſpectionis excellentiae* aliiſque nominibus fuiſſe uſos. (*b*) Sed ad rem. Illud itaque ubi animadvertit Datus, fusè per omnes virorum ordines, & genera excurrit, atque conſueta „ Beatitudinis Sanctitatis „ Paternitatis Majeſtatis Celſitudinis Excellentiae „ aliaque id genus nomina ſcribendique ratio-

(*a*) In eumdem errorem fuiſſe lapſum clarum quemdam noſtrorum temporum ſcriptorem, ex Joannis Clerici Bibliotheca ſelecta ſuperioribus annis accepi; ipſumque Clericum eumdem omnino errorem fuiſſe ſequutum, iu altero ejuſdem Bibliothecae libro intellexi.

(*b*) Etiam veteres Epiſcopi, cum ad invicem literas dabant abſtracta Sanctitatis ac Fraternitatis nomina adhibebant.

rationem, quibus, cum ad eorum quoſque ſcribendum erat, utendum videretur proponit; perpetuòque cum majoribus reverentiam, cum aequalibus moderationem, cum inferioribus benevolentiam, & caritatem, hujuſmodi inſcriptiones ac ſubſcriptiones, quae ſanè plurimae ſunt, oſtendunt. Eorum ac noſtrorum temporum, quae jam inoleverat ſuperbiam; quaeque veterem elegantiſſimamque ſcribendi rationem delere planè contendit, ſatis haec omnia produnt.

Haec excipit Edictum S. P. Q. S. quo univerſis & ſingulis, qui in quibuſque Senenſis ditionis *comitatus*, *diſtrictus*, *tractibus*, *atque oris maritimis* exercent poteſtatem, Joanni Ilcinenſi Monaco Franciſcano *haereticae pravitatis Inquiſitori*, opem atque praeſidium ferant jubentur, in iis ſanè prorſus omnibus „ quae ad illius muneris obeundi miniſtra„ tionem pertinent, etiam in conficienda ma„ nu, atque praebendo ſatellite „ Rem huc illatam crediderim, quòd Datus, Reipublicae per id tempus Scriba, fortaſſe eamdem confecit.

Epiſtolae omnes ſunt ferè quadringentae, &

& quinquaginta. Ex his ſunt ad Summos Pontifices, Fridericum Caeſarem, Auguſtam, S. R. I. Septemviros, alioſque magnos utriuſque Ordinis Principes viros. Habes hìc epiſtolas, ad Siciliae Regem duodecim, ad Neapolitanum viginti, ad Regem Francorum alteram, ad Ferrariae Regulum quindecim; pluresque ad Mediolanenſium, Calabriae, Urbinatum, Fridericum Aragonium, & totius ferè Italiae Principes. Sunt profectò ad Summos Pontifices quinquaginta eoque amplius; ad Cardinalium Collegium Romana Sede vacante, ad Magnum Hieroſolymitanorum Militum Magiſtrum nonnullae: ad Cardinales Beſſarionem, Fortiguerram, Urſinum, Rotomagenſem, Ravennatem, Reatinum, Neapolitanum, Papienſem, Sancti Sixti, Sanctae Crucis alioſque non paucae: & ad Senenſem imprimis Cardinalem Piccolomineum quinque & ſexaginta miſſas legimus; Reipublicae etenim negociis, in Aula Romana dum verſaretur, adeſſe numquam deſtitit. Septuaginta ferè ſunt ad Magiſtratus Florentinos; plures ad Venetorum, Genuenſium, Lucenſium, ac Peruſinorum Magiſtratus.

Habes autem hìc lector quanti fieret Senenſis Reſpublica a Summis Pontificibus, Caeſare, Regibus, Sacro Purpuratorum Coetu, aliiſque genere, authoritate, ac dignitate praeſtantiſſimis viris. Eſt hìc profectò, unde eorum temporum Senenſium elegantiſſimam atque abſolutam hiſtoriam poſſet quiſque pertexere; nec parum adjumento Malavoltae, & Thomaſio liber hic fuiſſet, ſi advertiſſent animum ad hujuſmodi epiſtolas; quibus in hiſtoriis conſcribendis nil utilius eſſe poteſt. In iis autem nunc gratias Senenſes Caeſari, atque Auguſtae agunt, quòd de Regio Infante paulo prius ipſis nato Noſtros fecerint certiores: modò Summos Pontifices, eorumque cognatos Civitate Senenſi donant. Habemus hìc clariſſimis teſtimoniis S. Bernardinum Senenſem, monachorum quos dicimus de Obſervantia, cum ſeſe daretur occaſio, authorem & magiſtrum fuiſſe appellatum: Patricios nobiliſſimos Neapolitanos, Cicinellos, Thomacellos, Caraphaeos, Januarios, alioſque Senas miſſos Regis nomine, ut Regia fungerentur legatione. Videre hìc eſt, quae per idem tempus cum Romana Eccleſia, Florentinis,

ac

ac Peruſinis de finibus coortae fuerunt lites, quique ager eſſet Senenſium; & quàm ſaepe Politianenſium, Florianenſium, ac Plumbinenſium motibus atque excurſionibus, Majores noſtri occurrerint. Praeter haec legere quiſque poteſt,quid actum ſit cum Romanis Pontificibus, ne Ordines Monachorum adoleſcentulos ad cucullum pellicerent: quid geſtum ut Rectorum Eccleſiarum moribus perditiſſimis modum ponerent: quid cum Epiſcopis; qui cum Eccleſiaſticam authoritatem augere ſtuderent,laicis ut ajunt viris vadimonia conſtituebant: quid in eos, qui nitebantur Licinianenſium Praetori ac lictoribus dicere diem, quòd ultimo ſupplicio affecerint Judaeum, qui *Crucifixi* imaginem,quaque potuerat ratione contempſerat; quòd nimirum hujuſmodi viros deteſtabiles coercendi facultatem ad ſolum Epiſcopum pertinere arbitrarentur. Habes hìc lector, quas literas, quali induſtria, diligentia, atque animi fortitudine Romam ſcripſerint Senenſes, quidve egerint, quòd, cum de finibus cum Romano Principatu ageretur, Sacrae Rotae Auditores diem Senenſi Reipublicae dixerint; quaſi Senenſis Civitas, altera earum ci-

vitatum eſſet, quae Summorum Pontificum dicto audientes eſſe coguntur. Legimus hìc nonnulla Senenſium Archiepiſcoporum jura in Academiam: Senenſium in eos obſervantiam: locorum ut ajunt piorum oeconomiam: Sacerdotiorum collationem: Parochorum quorumdam electionem: Ilcinenſis Montis Pietatis inſtitutionem: Plumbinenſis Principatus tutelam, Petilianenſis, ut ajunt, directum ſive ſupremum dominium: Monachorum conventuum generalium, ſeu provincialium defenſionem, & optimorum civium, atque praeclarorum virorum ad Principes, & Magiſtratus commendationem.

Conjectae ſunt praeterea in hunc librum quinque & viginti epiſtolae, quae dicuntur Patentes, vel teſtimoniales, vel denique fidem publicam continentes, pro principibus quibuſdam viris; quos per Senenſium ditionem tranſire oportebat: vel pro Senenſis Reipublicae Oratoribus, cum ad Reges, vel Magnos Principes peregrè proficiſcerentur. Habemus hìc facultates Sacram Theologiam legendi, Sacraſque literas interpretandi ab Archiepiſcopis factas, ut in Senenſi Academia vel in Monachorum

domi-

domibus, de rebus ſacris collationes haberentur: Edictum inſuper eorum qui praeerant Senenſi Academiae, quo Doctorum atque Auditorum licentia ſanctiſſimis coercetur legibus. Sed quorſum perſequor omnia? Habemus in hoc tertio Datianarum epiſtolarum libro omnem eorum temporum Senenſis Reipublicae oeconomiam, ingenium, mores, conſilia, inſtituta, adminiſtrandi rationem, ac coetera omnia, quae ad ejus dignitatem & amplitudinem pertinebant. Stilus elegans eſt, & Supremorum Magiſtratuum epiſtolas ſapit. Magiſtratus enim Majeſtatem, dum ſuperiores, vel pares alloquitur, cum familiaritate conjungit. Nec deſunt nonnullae, quae profectò cum Plinianis epiſtolis conferri poſſent. Sed ab iis omnibus excipere par eſt, quas Patentes appellamus. Sermonem enim forenſem ac rabularum voculas, uti facilè ſuaderi poteſt redolent planè.

De

De tribus Libris, quos Senenſium hiſtoriae inſcripſit.

SEnatus Conſulto, civiumque cohortationibus hanc ſcripſit hiſtoriam Auguſtinus Datus; quae de Alphonſi Aragonii Regis potiſſimum adventu, Picciniana excurſione, civiumque conjuratione agit. In excerptis enim, quae Ubertus Benevolentius vir clariſſimus meique ſtudioſiſſimus ſuperioribus annis, ex eorum temporum publicis commentariis confecit, ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum quintum legitur Auguſtinum Datum decreto publico rogatum fuiſſe, uti poſterorum memoriae hiſtoriam conſcriberet: ſceleſtorum civium, aliorumque ab adventu Aragonii Regis ad ea uſque tempora, auſus atque facinora memoriae proderet. Integram planè atque abſolutam hiſtoriam Datum noſtrum ſcripſiſſe, & ut Taciti voculis utar, ſinè ira & ſtudio (*a*) rem ſuam geſſiſſe, quae in praefatione habuit, verbis veluti clariſſimis teſtimoniis comprobatur „ „ Rerum inquit quae fuerunt, profectò maximae ac memoratu dignae, tum cauſas, „ tum

(*a*) Tacit. Annal. l.1.

„ tum ſeriem explanare conſilium eſt; ac quo
„ progreſſu, quove ordine geſtae ſint, per quos
„ afflicta, ac profligata Senenſis Reſpublica
„ fuerit ..... tantarumque rerum cognitio
„ transfundatur in poſteros; ſitque omnibus
„ argumento atque exemplo, quod peſtifera
„ ſint occulta domeſtici hoſtis jacula.....
„ Indecorum namque eſt mea ſententia, ea
„ in tenebris & conſequentis ſeculi ignora-
„ tione verſari, & verborum lucem, & lite-
„ rarum claritatem deſiderare. Igitur ſcri-
„ bere aggredimur..... ſola rerum veritate
„ freti, & narrantis fide, nihilque aliud,
„ quàm quod verè contigerit.„ Verùm, quae eſt peſſima rei literariae conditio, Auguſtino Dato vita functo, Nicolaus filius, dum totus eſt in operibus ejus colligendis, precioſam Dati noſtri aggreſſus ſupellectilem, hanc veritatis partem lectiſſimam conſpurcavit; quòd non nullorum cauſas, & gratiam ita penſi habuit, ut hanc Senenſium veram hiſtoriam planè corruperit. Audiamus ipſum Nicolaum in oratione de laudibus eloquentiae, hac de re, tamquam de maxima in Rempublicam caritate, ſtultè admodum loquentem. Tunc enim

vel

vel maximè deſipiunt homines, cum ſapere ſe ſibi ſuadent „ Senenſium inquit hiſtoriam in- „ tegram non edidimus..... conſultò ex his „ annalibus paſſim pleraque dempſimus, „ atque ſubtraximus, ne quem fortaſſe veri „ narratione laederemus ..... Nobis igitur „ decretum eſt deradere aliquid potius pater- „ ni nominis, ac partem ſuccidere, & de- „ truncare Senenſis hiſtoriae, quàm mordaci „ veritate confodere auriculas teneras „ O ſanè ſtultum perverſumque hominis conſilium, quòd dum aliquorum commodis, atque ingeniis conſulere ſtudes, eorumque gratiam conſectaris paternae gloriae, quodque miſerius eſt, pulcherrimae rerum veritati tenebras offundis. Sed rem perſequamur. Optimo itaque jure Hiſtoriarum fragmenta totam ſcriptionem inſcripſit hic parum fidus Editor. Tres ſunt libri. Suum cuique initium accomodatum eſt; neque ad calcem mutilus videtur ſenſus. Hoc unum noverat callidus homo, nimirum qua ratione particulae hiſtoriarum, atque ſcriptionum ſubducerentur. Annorum decadem haec omnis hiſtoria complectitur, ab anno videlicet milleſimo quadringenteſimo

qua-

quadrageſimo ſeptimo , ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum ſeptimum .

Initiò igitur totius operis, quemadmodum diximus, praefationem habes; in qua operis conſilium, propoſitum atque oeconomiam legimus. A Senenſis Civitatis atque ditionis laudibus rem orditur. Tum nonnihil de iis quibus ſtant quibuſque deficiunt liberae civitates praefatus, ad ea venit per quae paulo ante „ non externi hoſtis viribus, atque im„ petu, ſed perditiſſimorum quorumdàm ci„ vium improbitate, ac ſcelere penè factum „ eſt, ut in medium ſalutis ac libertatis diſcri„ men vocaretur „ De iis deinde rebus, de quibus ſupra meminimus, acturum pollicetur, librumque priorem orditur.

A Philippi Vicecomitis Inſubrum Principis poſtremis rebus, ejuſque exceſſu incipit. Deſcribitur Alphonſi Aragonii Neapolitanorum Regis Tiburem primùm, tum in Etruriam adventus; ſpecie quidem Mediolanum iturus, revera Etruſcorum rerum potiturus. Quae Senenſium legati ſemel bis iterum ac ſaepius, cum eo in ditione Senenſi agenti,

ejuſque itidem legati cum Senenſium Magiſtratibus egerint ac conſtituerint, quaeque Senenſibus ipſis, dum propius ad Urbem Rex inclytus acceſſit, benevolentiae ac voluntatis indicia oſtendit, accuratèque atque ordine narrat. Ad bellum Florentinis indictum deinde venit: Quae hinc iis, illinc Senenſibus in maritimis oris contigerunt, quaeque Alphonſus egit, uti noſtros a Florentinis abalienaret, deſcribuntur. Obſidio Plumbinenſis Civitatis, cujus principatum Senenſes jamdudum in tutelam ac protectionem ſuſceperant, hincque motus Senenſis Reipublicae, ejuſque civium ſollicitudines ſatis fusè atque eleganter exponuntur. Inſeruntur huic Plumbinenſium hiſtoriae quaedam eorum, quae pro Romana optimaque conſuetudine Judices Angelus Epiſcopus Reatinus, ac Joannes Capiſtranus vir verè Chriſtianus geſſerunt, uti Bernardini Albizeſchii Apotheoſis aliquando perficeretur. Verùm non optima ratione haec inſeruit Datus; nam paulo poſt, paucis admodum verbis ipſe, ſeu filius parum fidus collector, Plumbinenſem hiſtoriam abſolvit. Ad S. Bernardini negocium quod attinet, non erat hic locus miracu-

raculum ordine exponere,quo Joannis, Auguſtini noſtri Fratris, debilitata atque enervata manus eviruit. Peſtiferum morbum, qui in Senenſi Civitate per id tempus graſſabatur ad calcem exponit: & nonnulla tandem adjicit, quae ad Franciſcum Sforziam, atque Mediolanenſes pertinent; quae profectò a Senenſium rebus aliena eſſe videntur; ſi Venetorum literas excipias, quibus Senenſes rogarunt, uti quam cum Mediolanenſibus eorum Reſpublica iniverat, amicitiam cum iiſdem jungere liceret.

His rebus expoſitis, alterius triennii alterum conſcripturus librum hiſtoriam aggreditur. Principiò eorum temporum multa & admiranda, quaſi proludendo animadvertit, quaeque cum veterum ſeculorum memoria non injuria maximè conferres, & Jubilaei quem vocant imprimis hiſtoriam perſequitur. In qua quidem praetereundum minimè eſt „ Baſilicae Lateranenſis Portam fuiſſe hac occaſione patefactam, quae diutiſſimè etiam latere obſtructa erat „ Quod quidem latuit planè Thomam Alphanum Dominicanum Monacum: qui ſuperioribus annis, in Jubilaeorum quam Neapolis edidit hiſtoria, Alexandrum Sex-

 tum

tum tradit omnium primum ex Romanis Pontificibus fuiſſe, qui portas quas vocant Sanctas aperuit. Sed ad rem. Ab Auguſtini Burgheſii ac Franciſci Aringherii, genere authoritate & eloquentia ambo praeſtantium, Veneta pro Senenſibus Legatione orditur. Tum ad Sforziam venit, qui Mediolanenſium rebus erat potitus. Fit mentio ſub haec de conjuratione qua „ Craſſetum Urbem Senenſis agri opulentiſſimam „ Alphonſo Regi tradere nonnulli ſunt conati. Quod quidem, cum ad Senenſium hiſtoriam maximè pertineret, fuſiùs perſequendum videbatur; niſi fortè Nicolai editoris culpa rerum paucitatem in editione contigiſſe arbitremur. Sancti Bernardini deinde Apotheoſis deſcribitur. Peracta eſt octavo Kalendas Junias in „ Baſilica Apoſtolorum, „ quae honorificè parata erat „ Pompam curantibus Senenſium atque Aquilanorum Legatis: Aderatque infinita vis hominum „ & „ omnium pene gentium incredibilis multitu- „ do (annus etenim Jubilaei erat) pullorum- „ que oblata ſunt munuſcula paria, turtu- „ rum, & columbarum, auratique vini ca- „ di „ Deſcribitque praeterea ſatis fusè, quae hac

haс occaſione laetitiae indicia, & quidem clariſſima, quatuor diebus Senis ediderint cives. Lectu profectò digniſſima res eſt, quae Majorum noſtrorum, ſeculique illius indolem ſatis prodit. De lue ſub haec meminit, quae tertiùm, jam veluti familiarior, Senis ſaeviit; ita ut partim plurimorum civium ſeceſſu, partim interitu, Civitatem maxima calamitate affecerit. Ad Plumbinenſem rem deinde venit. Cum Reginaldus Urſinus, qui principatum illum obtinebat obiiſſet, & Catharina ſuperſtes ejus uxor rerum adminiſtrationi praeeſſet, decem viros tradit miſiſſe Senenſes, qui publica authoritate optimae ac praeſtantiſſimae viduae adeſſent. Quorum quidem conſilio atque auxilio omnia pro dignitate atque authoritate geſta ac ſervata legimus. Dum autem haec perſequitur, conſilii ſui oblitus Datus, ad triſtem deſcribendam calamitatem convertitur; qua Cardinalis cujuſdam incuria ac negligentia, trecenti & quinquaginta homines, eoque amplius ad Sancti Angeli Pontem perierunt. Ad rem Plumbinenſem reverſus, ſatis accuratè exponit, quamobrem ope Mauritii Lutii primùm, & poſtmodum Chriſtophori

Ga-

Gabrielii Civium Senenſium Emmanuel Appianus Plumbinenſem Dynaſtiam repentinò ferè, & clam imprimis Florentinos, qui facilè impedimento eſſe potuiſſent, obtinuit. Qua quidem occaſione fidem Senenſium ſummam, ſummamque liberalitatem ac temperantiam animadvertit; cum plura ejuſdem principatus oppida, quae per eam temporis opportunitatem ultro Senenſium tutelae ac poteſtati ſeſe tradiderant, non ſolùm integra omnino reſtituerint, ſed etiam coactis legionibus caſtriſque admotis, Burianum oppidum, quòd novi Principis imperium detrectaret, celeriter expugnarint. Sed coetera perſequamur. Foedus cum Venetis Franciſco Aringherio, atque Auguſtino Burgheſio Senenſium Oratoribus ictum accuratè exponitur,& honores praeterea, quibus Senenſes Legatos Veneti cumularunt. Narrantur quae pararunt Senenſes ad Friderici Coeſaris pro dignitate celebrandum Senis conjugium: quae hac ſuper re Magiſtratibus ſignificavit orator Coeſaris Aeneas Sylvius Senenſis Epiſcopus: quaeque Majores noſtri tum primùm fecerunt, ne ſuae fidei, vel ſociorum ſaluti quid contrarium admitterent. Friderici deinde

de Coeſaris atque Auguſtae, nec non Alberti Auſtrii, & Ladiſlai Pannonum Regis, aliorumque Virorum Principum adventus, quaeque hinc ediderint ſpectacula Senenſes diligenter atque ordine deſcribuntur. Sub haec multa inſeruntur ad Fridericum Romae ac Neapolis agentem, quae ad Senenſem hiſtoriam minimè pertinent. Venetorum deinde hinc ſuaſiones narrantur, ut cum Ferdinando Rege ſocietatem Senenſes inirent, illinc Nicolai Pontificis cohortationes, uti ſuborientis belli, quod contra Mediolanenſes ac Florentinos ii aggrediebantur, ſeorſum ſpectatores eſſent. Ferdinandi itaque Aragonii Calabriae Reguli Venetorum ſuaſionibus in Etruriam adventus exponitur: quae in agris Cortonenſi, & Aretino inclytus Princeps egerit; Floriani praeterea, Cacchiani, Rencini oppidorum obſidiones, quaeque hinc pati Senenſes oportuit afferuntur: Ferdinandi itidem geſta in agro Senenſi ac Florentino, clarorumque virorum qui in eadem expeditione ſtipendia meruerunt facinora perſequitur, & Florentinorum imprimis incurſionem in agrum Senenſem; quae Civitatem jam ſuborto bello an-

nonae

nonae caritate affectam planè peſſundedit . Pontificis Nicolai ſollicitudines poſtmodum narrantur ad reconciliandos Senenſes cum Florentinis; non enim placebat Pontifici Aragonium Principem florentiſſimo exercitu, juventute ac militari gloria florentem, in Etruria cum milite degere. Plura ſub haec inſeruntur de Mediolanenſium, ac Venetorum rebus. Sed ad Senenſem hiſtoriam reverſus, tradit eos inter & Florentinos utrimque rapinas, injurias, ac graſſationes contigiſſe, & plura praeterea quae non ſinè ſtomacho atque horrore legas. Rebuſque poſtremò aliquando cum Aragoniis compoſitis, quae ediderint laetitiae ſigna, quaeque, ad Divinam conciliamdam opem, decreverint Majores noſtri, accuratè nec ineleganter exponuntur.

Haec excipit poſtremus liber, qui rerum quadriennio geſtarum hiſtoriam continet. A Beatae Virginis incipit patrocinio; quo jam inde a ſeculo decimo tertio, ſingulari ac planè Divino in maximis Reipublicae calamitatibus auxilio, Senenſibus eamdem adfuiſſe comperimus. Petilianenſis Comitis in Rempublicam injuriae & conatus primùm enarrantur, ac

Nico-

Nicolai Pontificis curae, quibus haec componerentur, quaeque Senenſes opere ſummo fecerunt, ut iniqui hoſtis injurias ulciſcerentur. Sorani deinde obſidio, quae cum aequitatu, tum peditatu tredecim militum millibus inſtituta eſt, accuratè exponitur. Farneſiorum ſub haec aliorumque finitimorum, qui Petilianenſium Principi adfuerant meliora conſilia, quamque ſupplices petierunt veniam profert; civiumque praeterea ac ducum proditiones, quibus factum eſt, ut quam certiſſimam, cum hoſtis excidio, jam jam adepturi erant victoriam, quaſi de manibus ſublatam, Senenſes habuerint. Giberti Corrigii poſtmodum infidelitatis ſemina proponuntur; Sed quae fuit Majorum noſtrorum negligentia, eumdem poſt paulo Senis honorificè exceptum, imperii honoribus honeſtatum, inque ipſa Curia, frequentiſſimo Senatu, exercitui in Petilianenſes praefectum legimus; Quae quidem res ad extremum excidium Aldobrandinum Principem redegit. Nicolai deinde ac Calliſti Pontificum ſollicitudines afferuntur, quibus rem Petilianenſem componere conabantur. Quod quidem tandem Mediolanenſis Principis ac Venetorum

 cohor-

cohortationibus actum tandem legimus. Fractum etenim viribus Comitem, ejuſque copiis deletis, Jacobum Urſinum Praefecti Urbis filium, cumque eo Petilianenſes plures ac Soractenſes Senas miſiſſe refert ,, qui culpam ſuam profite-
,, rentur, veniam implorarent, pacem ultro
,, peterent, ſe ſuaeque ditionis homines & op-
,, pida Senenſium fidei commendarent ,, Recenſet deinde inter conditiones pacis ,, cenſi-
,, tum fuiſſe Aldobrandinum: in fidem, com-
,, mendationem ejus ſuſceptam; & Vitoccium
,, oppidum, quod illuc uſque ad Aldobran-
,, dinum pertinuerat, Senenſium poteſtati re-
,, lictum ,, . Tum Giberti Corrigii perfidiae initia aggreditur; Piccinini praeterea ac Everſi Comitis, qui clam cum Giberto amicitiam ac ſocietatem iniverant, in Senenſium fines repentinas irruptiones, agrorumque populationes exponit, hincque Senenſium curas ac ſollicitudines, quibus ad bellum iterum adornandum plura conſtituerunt, ac legationes ad Pontificem, Alfonſum Regem, Sforziam alioſque magnos Principes decreverunt: quae arma comparata, quique militum delectus ordine referuntur. Sub haec de Sarteani municipii obſi-

obſidione, deque Piccininianis motibus in Senenſes agit; quòd Nicolao Piccinino viginti *aureorum* millia, quae fiducia paternae amicitiae petierat, dare Senenſes noluerunt. In eorum itaque agrum ingreſſum Piccininum, pleraque oppida partim vi partim proditione recepiſſe, igne ferroque res noſtras, quae ad meridiem ſunt, incendiſſe diripuiſſe ac vaſtaſſe tradit. Sed perditiſſimorum potius civium iniquitate, quàm externi hoſtis inſectatione, ſalutem & libertatem publicam tunc in diſcrimen adductam, Senenſiumque ditionem bello flagraſſe oſtendit. Si quis verò locus eſt, in quo paternam hiſtoriam interpolavit Nicolaus, hunc profectò prae coeteris foedè corrupit: integras magnique momenti res omnino ſuſtulit, & clariſſimae luci importunas tenebras offudit. Quod quidem praeclaris teſtimoniis comprobatur. Poſtquam etenim tradit S. C. cautum fuiſſe, uti ſoli quindecim viri de bello adminiſtrando integram poteſtatem haberent: ſeorſum convenirent: publica commentaria praeceptiones atque epiſtolas, ad hanc rem pertinentes, vetere ſigno obſignarent, alioque epiſtolarum magiſtro uterentur, (ex quibus

 rebus

rebus recta conſilia fluxiſſe, hinc partam Reipublicae ſalutem Datus teſtatur) ad rem bellicam reverſus, de iis fortè egerat, qui meritas poenas pro ſumma improbitate dederant. Sed tali pacto hoc conjuratorum negocium abſolutum legimus. „ Compreſſus „ eſt multorum improborum furor, ſervata „ Senenſis Populi libertas, quae ab externo „ periculo propiſſimè aberat. Ea ipſe edo- „ ctus omnia, ubique ſtudioſus, veritatis per- „ ſpicuum ac luce clarius perhibeo teſtimo- „ nium. Nam eo redacta res erat, ut aut „ malos tolli, aut perire Rempublicam ne- „ ceſſe foret. Tum profectò recrudeſcente „ ejus Patriae vulnere libertas refloruit, & „ ſublato e medio malorum fonte, reviruit „ Senenſis Populi Majeſtas. Haec cum apud „ Calliſtum Pontificem percrebuiſſent, & re- „ ctè facta laudavit, & ſuarum literarum „ teſtimonio reatus immunes authores ope- „ ris conſtituit. Poſt vero cum nefanda il- „ lorum conjuratorum facinora, conſciorum „ ſcribarum indicio ac teſtimonio, Judices com- „ probaſſent, retentis ſuis ipſorum literis, „ perſpicuis conjurationis allatis documen-

„ tis,

„ tis , publicae tabulae conſtitutae ſunt in
„ convictos conjuratores , Romanae Eccleſiae
„ hoſtes , violatores pacis & fidei . Haec ad-
„ junctis Reipublicae literis primùm ad Cal-
„ liſtum Pontificem , & ad Auguſtum Fri-
„ dericum , tum ad omnes totius Italiae Ci-
„ vitates , ac Principes dimiſſae ſunt , ut &
„ illorum ſcelus innoteſceret , & Senenſis
„ Civitatis aequitatem iluſtrarent . Plerique
„ omnes laudarunt Senenſium magnitudinem
„ honeſtè atque utiliter facta comprobantes .
„ Unus Jacobus Piccininus acerbè paſſus eſt
„ eorum conjuratorum interitum , ac vehemen-
„ ter ingemuit . „ Fortaſſe nec doluit quidem ; cum hujuſmodi homines , poſt negocium quaque fortuna actum , parvam ſociorum ſalutis rationem habere conſueverint . Coeterùm ad rem quod attinet , nullius conjuratorum meminit , nullius caedes , nullius exilium ; cum frequentiſſimo Senatu ex alta feneſtra in forum Gibertum Corrigium , proditionis indiciis detectis , praecipitem repentino dederint ; ac non multo poſt Antonius Caſinus , Petrus Tancredus , ac Thomas Nicolucius ultimo ſupplicio fuerint affecti ;

& in-

& inſuper Bartholomaeus , & Jacobus Petrutii , Guido Silveſtrius , Antonius Reginerius , Sabinus Gorius , Bartholomaeus Blaſius , aliique ſeu pecunia, ſeu exilio fuerint mulctati . De quibus tamen aliiſque rebus benè multa Datum noſtrum fuiſſe loquutum , ſatis ſuadent cum verba quibus S. C. Auguſtinus excitatus animum ſcriptioni adjecit,tum ipſius Auguſtini verba, quae planè integra , hac ipſa de cauſa , ſuperius attulimus . Fugit profectò Nicolaum prima illa Tulliana hiſtoriae lex , quam pater adamuſſim ſervavit ; ne ſcilicet in ſcribendo quis quid falſi dicere audeat , ne quid veri non audeat , ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis . (*a*) Sed ad inſtituta redeamus . Callixti Pontificis atque Alfonſi Regis curae deinde afferuntur , ut Etruſcorum res componerentur : pax praeterea ejuſque conditiones , quaeve Piccininus coeterique geſſerunt , ſatis fusè atque ordine narrantur . Meminit ſub haec de Senenſium Chriſtianae pietatis indiciis , quibus Divinam opem ſibi conciliare curarunt . In iis autem praetereundum non eſt fuiſſe admodum plures ,, qui ,, amicti ſacco & nudati pedes , ſcapulas poe- ,, niten-

(*a*) Cic. de Orat. lib.2.

„ nitendo flagellarent: qui omnes veluti ca-
„ pita bini incederent, atque eorum varias
„ cohortes, diverſa pro ritu Sacrarum Imagi-
„ num diſtinguebant ſigna, deinde procede-
„ bant dealbatorum agmina &c. „ Qua occaſione non nihil ſeverius in eos cautum fuit, qui ſacrilegia ac nefanda ſtupra admitterent. Rebus aliquando compoſitis, tradit novem viros fuiſſe electos, ut, novis conditis legibus Rempublicam, libertatem, virtutiſque diſciplinam tuerentur. Allatiſque nonnullis, quae ad Sanctiſſimae Virginis honorem decreverant, deſinit hiſtoria, editoris ut arbitror culpâ, etenim ad calcem nonnulla deeſſe ſubobſcurè conjecimus.

Non inelegantem ſtilum, ut ex iis quae attulimus videre eſt, Datus in hac hiſtoria adhibuit; in qua Livianas periodos integras, mutatis quae mutanda videbantur, aliquando legere libuit. Paululum aliquando ſe erigit, ut non ſemel exornare potius res geſtas, quàm narrare videatur. Eſt praeterea exacta rerum perveſtigatio, vera & luculenta geſtorum explanatio; & quiſque laudaverit opus tamquam eloquentia, doctrina, diſtinctaque rerum explicatio-

catione conſcriptum. Cum praeterea rerum ratio optatiſſimum ordinem temporum habeat; quoniam quaſi alter Thucydides quid vere, quid aeſtate, quid hyeme actum ſit oſtendit. Virorum effigies, eorumque caracteres apprime deſcribit; non rarò tamen digreditur, & aliquando omnino abs re. Nam Hiſtoriae ſuae nonnulla inſeruit quae ad aulam ſolam Romanam, Neapolitanam, Mediolanenſem pertinent, Sanctorum quoque Apotheoſim, rem Turcicam aliaque plura, quae in Senenſe negocium minimè conferunt. Praeclarum tamen eſt opus, lectuque digniſſimum; & profectò Datianorum opus non infimum fuiſſe crediderim, niſi Nicolai filii haud prudens religio atque ingenium ejus integritati ac fidei detraxiſſet.

De opere, quod inſcripſit Hiſtoria Plumbinenſis.

HAnc ſcripſerat autumnalibus feriis, confeceratque prope Kalendas Novembres, quo tempore triſtis Pientiâ de fratris filiis lethali morbo correptis latus, al eſt nuncius

cius (*a*). Rogatus fuerat Datus aliquando hac de re a Cardinale Senenſi Franciſco Piccolomineo, Romae tunc agente, quem ſemper maximi fecerat. Verùm cum imprudens homuncio, cui contextam hiſtoriam, aliaque ad rem literariam pertinentia, Romam perferenda tratradiderat perdiderit, diu laboris iterum exordiendi eum pertaeſum eſt; Nec ad eam rem, quam accuratiori paraverat ſtudio, planè iterandam animum & operam referre poterat. At ejuſdem Cardinalis authoritate compulſus, difficulter atque aegrè admodum rem rurſum eſt orditus. Quam profectò non niſi operoſiſſimè iteratam legimus; cum non ſatis ſuppeteret, unde quae aliquando conſcripſerat, iterum mutuaretur. Satisfecit autem adeo Cardinalis deſiderio, ut elegantiſſimis literis (*b*) de probatiſſima ſcriptione is ingentes egerit gratias, & laudaverit opus tamquam „ eloquentia, doctrina, exacta rerum perveſtigatione, & vera, dilucida, diſtinctaque geſtorum explicatione ornatum; „ tantumque abeſſe, ut tabellarii jactura ſiccius, brevius,

F f   & in-

(*a*) Gobel. Commen. l. 8.
(*b*) Lib. primo Epiſtol.

& inconcinnius „ opus ſuum ediderit , ut „ huic rei per aetatem inſudaſſe „ videretur. Adjecit praeterea Cardinalis , Appianorum Gentem , quam ſuis monumentis celebrem reddiderat, ſummas ei debere gratias. Non ignobilis Civitatis ſitum & regionem, loca praeterea , quae Plumbinenſi Dynaſtiae parent , & alia quae ad ejus notitiam ſpectant, accuratè deſcribit; quantique ad Senenſem Rempublicam ejus Civitatis ſtatus pertineret oſtendit . Ab exceſſu Urſinorum rem orditur, & Appianorum res non indiligenter perſequitur . Inclytae Gentis, omniumque qui eidem principatui praefuerunt , genealogiam pertexit : affinitates, clientelas, conſilia, & ſtudia, quoſque metus a Florentinis refert. Quae diſcrimina, qui motus, quaeque exterorum irruptiones ab anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ad milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum quartum, clariſſimis ejus Gentis viris contigerint, habentur in hoc libro . Itaque Baltatii Anglarenſis viri, militaris gloriae cupidi, cui clam cum Nicolao Piccinino communia eſſe omnia putabantur, repentinas Plumbinenſem in agrum irruptiones, Subereti

expu-

expugnationem, hincque Principis ſollicitudines deſcribit; & Senenſium imprimis, qui aliquando ſumma ope curaverant, ut Baltatius ingenti pecuniae vi, a Paula Columnia, quae Plumbini praeerat accepta, Subereto cederet. Emmanuelis deinde Appiani excurſiones afferuntur, quibus, Baltatii & Florentinorum imprimis ope, Plumbinenſium rerum, ſed inani prorſus conatu, potiri contendebat. Tum Baltatii ejuſdem triſtis exitus, praeclaraeque uxoris virtutes narrantur. Nam ad illum quod attinet, Florentinos Florentiam hominem per dolum accitum, inflictis vulneribus confodiſſe, dediſſeque e feneſtris praecipitem tradit. Cujus quidem admiſſi facinoris cauſae afferuntur, quae integris quibuſque lectoribus, ut judicare poſſum, probarentur. Sub haec Eugenii Pontificis, Piccinini, Urbinatum ac Ferrarenſium Principum plura proponit, quae parum in rem Plumbinenſem conferunt. Ad hanc hiſtoriam reverſus, Alfonſi Regis adventum, per eum Florentinis illatum bellum, & hinc Plumbinenſis Civitatis obſidionem recenſet. Reginaldi Principis atque oppidanorum infractus animus ac facinora proponuntur,
 qui-

quibus duo de octoginta dierum obſidionem tulerunt, atque viriliter certarunt ut „ caeſis „ militibus pluſquam duobus millibus, & „ quingentis regiis, regia Claſſis, & regius „ aufugerit exercitus, Rexque tandem Neapo- „ lim ſeſe receperit „ Pergit Datus, & agri Senenſis calamitates exponit, quas, dum haec gererentur pauloque poſt, a Regio, & Florentino milite profectas comperimus. Tum ad Ciſalpinae Galliae res divertit, & Sforzianorum, ac Venetorum plura ſatis fusè perſequitur. Nec proinde identidem, quae ad Reginaldi Principis rem pertinent praeterit. Etenim nunc Florentiae extremum vitae diſcrimen ſubiiſſe: modò eumdem Plumbinum reducem, Caſtrum Leonem, quem Rex Alfonſus obtinebat, coepiſſe: nunc a Florentinorum amicitia deſciviſſe, ac tandem peſte correptum, omniſque prolis expertem mortem obiiſſe tradit. Qua occaſione Urſinorum, Proſperi Cardinalis Columnii, Emmanuelis Appiani, & Senenſium imprimis afferuntur conſilia ac ſollicitudines; quibus quidem, aliquando rebus compoſitis, Emmanuelem, Senenſium legatis id maximè curantibus, rerum Plumbinenſium

poti-

potitum legimus. Qua in re praetereundum non eſſe animadvertit, Majorum noſtrorum fidem, recti bonique ſtudium. Nam cum non defuerint, qui in ea maxima rerum conflictatione multa Senenſibus pollicerentur, uti res Plumbinenſes dividerent, ipſos tantùm ab hoc nefario conſilio abfuiſſe teſtatur, uti caſtella, & arces, quae pleraque in ſuam fidem receperant, extemplo Emmanueli tradi curaverint. Verùm non recti bonique ſtudio a Plumbinenſium rebus ſeſe Majores noſtros abſtinuiſſe arbitramur; cum ipſi, eadem ratione eodèmque conſilio ac Florentini, finium proferendorum gratiâ, Plumbinenſi Dynaſtiae diligentiſſimè inhiarent: ſtareque jamdudum iccirco conſueverit Plumbinenſium Principum in hoc fortuna, quòd ad tuendum inopem ab alterius injuriis alter praeſto eſſe ſoleret. Et illud quidem adeo verum eſt, ut cum Friderici Coeſaris adminiſtri rem Imperio *devolutam* contenderent, curaſſentque per Mediolanenſem Arcimboldium (*a*) uti res magna pecuniae vi componeretur „ & ſaltem ſexdecim vel quindecim

(*a*) Rebus Imperii in Italia gerendis praepoſitus aderat Arcimboldius; hunceque honorem eidem conciliarat Gaſpar Slichius Coeſaris Cancellarius, quem Arcimboldius affinitate contingebat.

„ decim millia florenorum poſſent haberi „ (*a*) Florentini & Senenſes idem Coeſari obtulerunt, uti rem obtinerent. Quin etiam polliciti ſunt Arcimboldio Coeſaris adminiſtri, ut rem ſtudio maximo perficeret, hancque auri vim corraderet, eum hinc laturum tria florenorum millia, quae Coeſar eidem debebat (*b*). Sed eò redeamus unde diſceſſimus. Emmanuelis Appiani Plumbinenſis Principis, qui perpetuò, contra licèt plurimi conarentur, in Senenſium clientela atque tutela eſſe voluit, mores atque ingenium afferuntur. Jacobi deinde, qui in Emmanuelis locum ſucceſſit, narratur facinus, quo de conjurationis cujuſdam auctoribus, qui in ejus perniciem conſpiraverant, ſupplicium ſumpſit. Tum ad Pontificem Pium ejuſque laudes divertit. Ad rem autem reverſus, memorat quamobrem Jacobus Caſtrum Leonis, quod oppidum unum in Etruria ad mare Ferdinandus jure belli obtinebat, ſeſe oppidanis ultro dedentibus, acceperit; quod quidem poſt paulo Andreae Piccolomineo Sororis Pontificis filio traditum legimus. (*c*) Galeatii Mariae Sforziae deinde

in

(*a*) Sunt verba epiſtolae Slichii ad Arcimboldium apud Aeneam Sylv.
[*b*] Ibid. (*c*) Gobel. Comment. l.8.

in Plumbinenſem principatum conatus, repentinae irruptiones atque impetus proponuntur. Tum nonnulla, profectò abs re, de Cardinali Senenſi alloquutus, Baptiſtinae Jacobi Principis uxoris Senas adventus, quaeque ad eam officiis atque honoribus proſequendam, geſſerint Senenſes deſcribuntur. Pergit Auctor, & nonnulla de re Petilianenſi aggreditur, in iiſque teſtatur quod dediderit „ ſe Aldobrandinus
„ ultro Senenſibus; Rex tamen Ferdinandus
„ refragatus eſt, maluitque eum dominatum
„ Urſinis manere: eo tamen foedere, quod
„ Senenſes cum Aldobrandino multò antea
„ pepigiſſent, ut & Senenſes Nicolaum Urſi-
„ num protegerent, & ille fidem, atque ob-
„ ſervantiam exhiberet „ Tum nonnulla perſequitur, quae ad Italicam non Plumbinenſem hiſtoriam pertinent. Jacobi tandem ultimam valetudinem aggreſſus, Senenſium ad eum curandum ſollicitudines exponuntur, miſſumque tradit inter alios medicos Bartholum Thurium; quem cum maximi propter amicitiam atque doctrinam faceret Datus, in ejus laudes excurrit. Eo mortuo refert ad calcem totius operis, Legatorum Senenſium curis tuta

omnia

Digitized by Google

omnia, pacata ac tranquilla filio ſuperfuiſſe, hujuſque inclyiti Juvenis laudes perſequitur; quem poſtremò tradit ſibi deſpondiſſe Victoriam Piccolomineam Aragoniam Ferdinandi Regis neptem.

Satis luculenter apparet ex hac hiſtoria Plumbinenſium rerum tutelam penes Majores noſtros non fuiſſe ſolum tenella Principum aetate, ſed & eoſdem aetate integra atque grandiores in Senenſium fide, a clientela permanſiſſe. Quod quidem ex pluribus quae hìc narrantur de Petilianenſi principatu, ſatis praeclarè conſtat. Stilus elegans eſt, ac perpetuus in tota oratione, licèt voculis ſcateat aliquando minus latinis; quod quidem temporum vitio adſcribendum crediderim. In rebus magnis memoria dignis, conſilia primùm, deinde acta, tum eventus exponuntur: eorum qui fama ac nomine floruerunt, quorum cognitio in rem maximè conferat, ingenium naturam animique effigiem repreſentat. Non raro digreditur, ita ut Italicam Hiſtoriam aggreſſurus non ſemel videatur, ſed propter rerum paucitatem facili negocio eſt excuſandus. Aliquando rem recoquit, & quod magis mireris, talibus utitur verbis

verbis, ſeſeque explicandi haud praeclara ratione, ut aliquando parum ſibi conſtitiſſe videatur. Eam profectò iterum percurriſſe non piguit, quòd florentis per ea tempora Principatus, cum rara admodum ſuperſint monumenta, hìc quae contigerunt, quaeque memoria digna viſa ſunt, collecta habemus.

De Libro, quem inſcripſit Iſagogicus libellus, pro conficiendis epiſtolis atque orationibus, ad Andream Capaccium Civem peregregium, ac diſcipulum dilectiſſimum.

HOc opus, quod non ſemel extra Dati noſtri operum codicem invenies, alio inſignitum titulo accepimus „ nimirum Elegantiolarum. „ Breviſſima temporis elucubratione „ ut vix dictu ſit credibile,„(*a*) rem conſcriptam conſtat. Minimè hanc inſeruerat Datus inter ea, quae accuratiſſimè, ac ſumma diligentia ſcripſiſſe ſibi videbatur. Fuit quoddam ingenii delibamentum, quod Auguſtino imprudente, atque invito excidit, pervenitque in manus hominum. Amicorum enim quorumdam cura in lucem prodiit, cum ſe lecturos ſolùm non

(*a*) Or. de Laud. Eloq.

edituros promiſiſſent . Ipſi erant Monachi ; qui ejus lectione, praeceptorumque novitate, atque praeſtantia plurimùm capti, uni vel alteri rem communicarunt. Hinc Venetiis cum ederetur, de authoris nomine fuit controverſia. Sed Mathaei Thomaſii Senenſis diligentia atque induſtriâ, rerum veritate compertâ, Auguſtino Dato cauſa adjudicata eſt. Peragravit mox pleraſque Italiae Urbes. Ferrariae autem plagiarius quidam Laurentius, quorum nequiſſimo hominum genere jamdudum abundavit, abundat, abundabitque perpetuò Reſpublica, quem ſanè in re literaria, pro ſua vel in malos pietate, maximi facere Datus teſtatur, hujus eraſit nomen, propriumque ſuffecit; ſed inani prorſus conatu, cum ut Datianae doctrinae monumentum ſemel, iterum, ac ſaepius ſit formis editum. Rem totam habet lector in ſatis prolixa Dati noſtri epiſtola, quam elegantiſſimè ſcripſit ad Mathaeum Thomaſium Senenſem, qui primus ſuffuratam Auguſtini noſtri laudem detexerat. Ubi adjecit ad calcem, ſeſe prolaturum ſi opus eſſet, conſcripti libelli perſpicua documenta, quò a ſe rem confectam, quibuſque ea de re dubitantibus,

pate-

patefaceret. Extant praeterea hoc loco Gaſparis Tribalcii Marinenſis, Franciſci Octavii, Cleophilis Ariminenſis, & Benedicti Cinguli Poetarum Epigrammata, quae Plagiarii facinus non ineleganter produnt. Sed omnium optimè verum ſcriptionis authorem patefecit Chiſiana Bibliotheca; ubi ſub numero 1065. in Papyraceo M. S. codice, a charta centeſima quadrageſima ad centeſimam ſexageſimam ſeptimam, hoc inſignita titulo res eadem continetur „ Auguſtini Dati Senenſis de variis lo„ quendi figuris, ſive de modo dictandi ad An„ dream Civem Senenſem: Iſagogicus libel„ lus. „ Itaque ad rem.

Tenet hìc lector rationem conſcribendarum epiſtolarum, coeterarumque Latinarum ſcriptionum; & praeterea lectiſſimos Tulliani, ac Terentiani ſermonis flores, optimorumque ſcriptorum, in unaquaque orationis parte elegantias; quibus profectò rebus Auguſtinus Datus, vir in hoc rerum genere naris emunctiſſimae, Andream Capaccium ſibi cariſſimum inſtituit, atque informavit. In longum quidem protrahitur, ac ſatis prolixa res eſt; lectu tamen eſſe jucundiſſimam, & pro-

Digitized by Google

cul dubio utiliſſimam iis, qui latino ſcribendi generi apprime ſtudent, ſatis oſtenditur etiam ex eo ſolùm, quòd Nicolao filio, uti hanc lectitaret, ſtudio maximo ſuaſerat Datus, quaeque hìc praecipiuntur ſtudiosè complecteretur, ac memoriae commendaret. Accedit quod apud remotiores populos in uſu & exercitatione receptum eſt hoc opus. Et Joannem quidem Aragoniorum Regem id ſaepe deoſculaſſe, totum memoriae tradidiſſe, atque in deliciis habuiſſe, Petri Stephaniſtae literis accepit ipſe Auguſtinus Auctor. „ Habes inquit ad Nicolaum filium optimus genitor Datus (a)
„ libellum Iſagogicum a nobis editum, & prop-
„ ter utilitatem ejus non in Latio ſolùm, ſed
„ etiam apud remotiores populos in uſum &
„ exercitationem receptum. Eum tu lege
„ crebrò, & quae praecipiuntur ſtudiosè com-
„ plectere, & inſuper memoriae commenda;
„ nam ut ex Petro noſtro Stephaniſta Hi-
„ ſpanienſi viro literato ac modeſto accepiſti,
„ ipſe quoque Aragonius Rex generoſus
„ Joannes Princeps clariſſimus, eum libellum
„ ita deoſculatur, ut jam totum & ipſe quo-
„ que

(a) Lib. de Ordine diſcend.

Digitized by Google

„ que memoriae commendaverit & opuſcu-
„ lum ipſum in deliciis habeat. Quanto te
„ ſtudio majore id ipſum facere oportet, ut
„ patris praecepta avidiſſimè arripuiſſe videa-
„ ris. Quae a Grammaticis, quae a Rheto-
„ ribus, quae ab Hiſtoricis, quae a coeteris
„ viris diſertiſſimis, in eloquutionis varietate
„ uſurpata ſunt, habes brevi compilatione
„ collecta. Crebra ſunt in eo a Terentii ſcriptis
„ deprompta exempla &c. „ Abſolutiſſimi operis non piguit hìc rei ſpecimen quoddam proferre, quo Dati noſtri hac in re praeſtantiam, atque in re grammatica exercitationem comprobemus. Igitur dum nominum ac verborum diſcrimina perpendit, haec de eorum nonnullis habet „ Ego verò inquit non ſolùm confiteor
„ quod eſt per vim, ſed etiam profiteor, quod
„ quidem eſt ſponte. Et apud M. Tullium per-
„ ſaepe legitur: tibi gratulor, mihi gaudeo;
„ nam gaudemus nobis, gratulamur aliis. Et ti-
„ bi ago gratiam, quod quidem eſt verbis: re-
„ fero gratiam, quod eſt re ac factis, habeo
„ gratiam quod eſt animo: Debeo gratiam,
„ ubi aliqua obligationis vis cernitur „ Ad calcem adjecit pro conſcribendis epiſtolis, ſalutationis

tionis

tionis & temporis annotandi formulas, Kalendarum Eiduum nimirum ac Nonarum rationes.

De tribus libris, quos Stromatum inſcripſit.

ARmamentarium dixerim hanc Dati noſtri elucubrationem, & quidem antiquioris, ac ſelectioris doctrinae. In quod altiſſima veteris hiſtoriae, & ſanctiſſima quaeque, ex regulis morum deprompta, Datum noſtrum intuliſſe ſatis ſuadet dimidium fortaſſe, quod extat totius rei. Etenim totum alterum librum, ac maximam partem tertii, uti ex eo quod ſupereſt conjecturam facimus, temporum abſtulit injuria. Liber primus, qui ſolus integer eſt, ad Dominicum Biliottum Canonicum Senenſem inſcribitur, & in viginti quinque dividitur capita, varia multiplicique doctrina refertiſſima, nec ineleganter pertractata. Agitur hìc primùm de duplici hominum officio, quod eſt nimirum amicis ubique, & in foro potiſſimum adeſſe, ac de Republica benemereri. Tum de Sapientiae definitione, deque ratione, qua Sapientia a Philoſophia differat. Sub haec eamdem trifariam partitur, nempe in Ethicam

cam, Oeconomicam, & Politicam. Id profe-ctò non eſt praetereundum, Datum noſtrum Ethicam tamquam eam Philoſophiae, quae ad mores pertinet, partem laudaſſe „ quae cir- „ ca inſtitutionem ſui ipſius verſatur „. Hanc profectò Monaſticam malim appellare non Ethicam; quam quidem, ſi cum iis Philoſophiae partibus conferas, quae cum ad familiam, tum ad Rempublicam pertinent, cum oeconomica nimirum, politica, atque ea quae „ cir- „ ca inſtitutionem ſui ipſius verſatur.„ Ethicae tamquam generi ſuo, a quo emanant illae aliae partes, ſubiici optimo jure comprobabis. Jam verò cum civile bonum, civiliſque Philoſophia omnium praeſtantiſſima ſit, ad plura, quae ad eamdem optimam rem ſpectant, venit. Inquirit itaque primò quomodo differant lex, mox, atque inſtitutum. Qua occaſione plura, & quidem pereleganter, & accuratiſſimè expendit, quae ad Juris Civilis originem, & conſuetudinis authoritatem pertinent. Tum quadruplicem affert prudentiam, nimirum qua non ſolùm rem domeſticam, atque publicam tuemur, ſed militarem, ac bellicam. Verùm meo judicio hanc poſtremam prudentiam ne-

quic-

quicquam eſt commentus, cum rebus ipſis militari, ac bellica tueri, atque regi Rempublicam neminem inficiaturum crediderim. Sub haec rei militaris diſciplinam, & virtutem perſequitur; accuratèque diſquirit an a natura potius, quàm ab arte erudiamur homines, aut ſaltem ab arte clarius, ac efficacius praeſtantiam aſſequamur; dumque naturae vim ac virtutem perpendit, Graecos cum Romanis confert. Quò enim teſtatur gravitate, conſtantia, animique magnitudine hos praeſtitiſſe, eò levitatis nulliuſque fidei. Graecos accuſat. Sed haec non uno Romani Ciceronis teſtimonio comprobanda videbantur. Igitur haec accuratiori judicio expendens, vetuſtiſſimam oſtendit fuiſſe laudem Graecorum; ex quorum ſcriptis, cujuſque aetatis quae dicendi, quaeque philoſophandi rationes, atque ſtudia veteribus fuerint, ſatis intelligere poſſumus. Sed Romanos majori gloria Graecis praeſtitiſſe teſtatur: rectèque quidem ac ſapienter dixiſſe Tullium: omnia Romanos, aut per ſe inveniſſe ſapientius quàm Graecos, aut ab eiſdem accepta feciſſe meliora & illuſtraſſe. Hanc ſanè laudem, neſcio quo jure, quo conſilio, quave ratio-

ratione nonnulli, qui trans alpes incolunt, quique ſuae Gentis ſcriptores atque opera cum Italorum operibus conferunt, omnino ſibi vindicare hac tempeſtate conantur. Cum coeteroquin pauca admodum ipſi invenerint; ſique Italis eſſet unde ocium literarium ſuppeditaretur, plurimorum ac pene omnium, quae ipſi adinveniſſe gloriantur, in Bibliothecarum blattis ac tineis, & in libris ſemel tantùm, & ab hinc ferè tertium ſeculum editis, veros authores atque parentes invenire poſſemus. Sed ad rem. Ad Poetarum itaque Graecorum praeſtantiam quod ſpectat, qui & Sapientes vocabantur, eorum vetuſtatem diſquirit, & trium imprimis, nimirum Homeri, Heſiodi, atque Archilochi. Illos coſtat vixiſſe iiſdem ferè temporibus, & Homerum quidem aliquanto antiquiorem fuiſſe. Utcumque tamen ſit, ante Romam conditam: quot verò annos inexploratum eſſe, cum de Homeri potiſſimum aetate Euſebii Ceſarienſis, Socratis, Ariſtotilis, Ariſtarchi, Philocorii, Appollodorii, Eutropii, aliorumque veterum afferantur ſententiae; quae tot ſunt, quot eorum ſunt Authores. Ad Archilocum quod attinet, ex Ciceronis, Nepotis, ac Gellii monu-

mentis, ad Tullii Hoſtilii tempora perveniſſe tradit; Nec parum hominis praeſtantiam, vel ipſa numina prodidiſſe, cum ejus interfectores detexerint, coarguerint. Dum praeterea Poetarum vetuſtatem perſequitur, tempora diſquirit, quibus apud Romanos & cogniti, & recepti fuerint Poetae. Ex Tullio & Gellio quingentos & decem annos poſt Romam conditam Lucium, Livium, quem alii Licinium appellant, poſt Sophoclis, & Euripidis mortem, anno ante quam naſceretur Ennius, fabulam Romae docuiſſe tradit. Tum Naevii ac Plauti aetatem perpendit; animadvertitque ex Cicerone diu multùmque parum adeo Poetis fuiſſe habitum honoris, ut Marcus Cato objecerit Marco Nobiliori, tamquam probrum ac dedecus, quòd Q. Ennium Poetam ſecum, dum eſſet Conſul, in Aetoliam duxerit. Cujus quidem rei & ipſi in Italica actione, contra Poeſeos artem, aliquando meminimus. Romanorum res itaque aggreſſus, ex M. Catone in Originibus, eorum mores atque ingenium recenſet in epulis ad tibiam canendi clarorum virorum laudes, quò vehementius homines ad virtutis ſtudium excitarentur. Verùm his le-
vibus

vibus excitandorum hominum rationibus miſſis, ad bonas atque ingenuas artes, ac praeclara optimarum rerum ſtudia, honoribus praemiis, atque emolumentis ex Platonis, Tullii aliorumque teſtimoniis, incendendos eſſe homines putat. Cum autem in bonas artes inciderit ſermo, de earum nonnullis ſeorſum, ac ſatis fusè ſingulis capitibus agit. A Muſica orditur, quòd omnium propemodum ſtudiorum antiquiſſima fuerit, ita ut apud Graecos, aliquando qui eam neſcirent, rudes, indocti, atque ignari putarentur. Ejus praeſtantiam veteribus in eo fuiſſe animadvertit, quòd ſummam eruditionem in nervorum vocumque modulationibus cenſerent. Illius laudes, vel ex ipſis Latinorum teſtimoniis, comprobare ſtudet. Hinc ad Geometriam, ejuſque partes venit: quidque ea ſit, quas in partes partiatur, quantamque hominibus afferat utilitatem oſtendit. Sed ad utilitatem quod ſpectat, id ipſum probat non ſolùm probabilibus argumentis, ſed exemplis quoque Periclis Athenienſis, & Sulpicii Galli; qui de Solis obſcuratione, Lunaeque defectione differendo, territos exercitus metu liberarunt. Quarum ſanè defectionum cauſae,

 ſi Si-

ſi Siculum Niciam non latuiſſent, metu & ipſe confuſus, Athenienſem exercitum haud perdidiſſet. Tum eloquentiam, ejuſque laudes probabilibus argumentis adeo extollit, ut hac una re, vagas hominum multitudines in populos coiſſe, hominum mentes ad ſervitutem Juris impuliſſe, ipſamque Rempublicam ſtetiſſe ſtareque ſuadeat. At plura etiam proferre poterat detrimenta, quae publicae res ab eloquentia ſaepe numero paſſae ſunt. Peritiam autem dicendi, quae ſemper floruit, ſemperque dominata eſt, a natura, ſtudio, ingenio, induſtria, doctrina, atque exercitatione proficiſci contendit; itaut ob eam cauſam alium aptum Oratorem, alium ſtudioſum, alium doctum, alium eruditum, alium magnum Oratorem appellemus: ita ut cum ex coeteris, tum ex hoc potiſſimum loco, quanta optimorum oratorum fuerit, ſemperque futura ſit paucitas facillimè judicemus, inque eorum numero perraro exortum aliquem fuiſſe excellentem, Latinorum Graecorum ac Italorum copiam licèt percurreris. Quod quidem non ſatis mireris, cum coeterarum artium ſtudia ferè reconditis atque abditis e fontibus haurian-

hauriantur ; dicendi autem omnis ratio in medio poſita , communi quodam in uſu , atque in hominum more , & ſermone verſetur . Ad multiplex deinde venit diſciplinarum genus , quod apud Romanos non eamdem ſemper obtinuit fortunam . In Philoſophia interim parumper ſiſtit ; conaturque ſuadere , Ciceronem primum omnium Latinorum fuiſſe , qui dum ocio longè a Republica langueret , ut civibus ſuis prodeſſet , illuſtrandae Philoſophiae munus ſuſceperit . Sub haec neſcio qua ratione , quove conſilio , de duplici vitae genere agit , ocioſo nimirum , ac negocioſo ; veterumque teſtimoniis & Tullii imprimis verbis , ejuſque exemplo oſtendit dandam cuique eſſe operam , ut in negocio ſinè periculo , & in ocio cum dignitate verſemur . Ad Philoſophiam reverſus , perfectam Philoſophiam , & ſi de rebus agat , nihilominus gravitate ſententiarum , & copia delectuque verborum ornandam eſſe contendit ; quod quidem ad Philoſophicum orationis genus , non ad forenſe pertinere arbitramur . Hinc paulò poſt ſuadet decere non ſolùm Oratorem ſed etiam Philoſophum aptè , diſtinctè , & ornatè dice-

dicere : Quae omnia Ciceronis ac Quintiliani teſtimoniis in Ariſtotile praeſtantis ingenii, magnaeque ſcientiae ac doctrinae viri, apprimè reperiri animadvertit . Hinc eorum , quae ille ſcripſit, partem ab eo fuiſſe populariter ſcriptam, quaeque Exotericon appellavit, partem limatiorem , ac ſubtiliorem edidiſſe , quaeque Acroatica vocamus. Ad Graecorum diſcendi morem poſtmodum convertitur ; oſtenditque ex eorum monumentis, ſedendo aut ambulando id conſueſſe ; quam conſuetudinem a Romanis aliquando receptam legimus . Poſtremò triplicem veterum diſputandi conſuetudinem refert. Aut enim in conventibus literariis poſcebant quaeſtionem, ut hinc diſſerendi occaſio cooriretur , aut interrogabant ut opiniones elicerent aliorum, quibuſcum diſſererent ; aut demum rem proponebant, adiiciendo primùm omnium, quae ipſi ſentirent . Quarumque ſingularum diſputandi rationum ſuos affert Sectatores ac Principes . Tandem nonnulla ex Grammatica, quam dixerim Philoſophica excerpit, de varia Superlativi nominis virtute ac ſignificatione, ex Ciceronis imprimis operibus , quae Scioppius in ſuam

Gram-

Grammaticam Philoſophicam intulit.

Alterius libri, ejuſque capituum argumenta planè ignoramus.

Poſtremi autem, quem ad Nicolaum Franciſcum filium inſcripſit, quatuordecim tantùm ſuperſunt capita. In eorum primo habemus abundare nos praeceptis inſtitutiſque Philoſophiae, Doctorum nimirum authoritate, atque exemplis, quibus ad honeſtè vivendum in Civitate ampliſſima excitamur. Ampliſſimam autem hanc Civitatem veteribus fuiſſe Athenas teſtatur; iccirco in ejus laudem, originem, ac claritatem hìc excurrit. Sub haec de duabus praeſtantioribus diſciplinis Philoſophia nimirum, atque eloquentia agit; quae cum apud Romanos, tum apud Graecos floruerunt. Quod autem iſtae, aliaeque ingenuae diſciplinae a Graecis manaverint, quamquam Romanus Cicero fuerit gloriatus, Romanos ab eis receptas feciſſe meliores, oſtendit veterum teſtimoniis Latina cum Graecis eſſe conjungenda; eaque omnia, dum Sapientiae perſequimur ſtudium, accuratiſſima temporis atque ordinis ratione comparanda contendit. Hoc praeterea Sapientiae donum duabus coaleſcere

teſta-

Digitized by Google

teſtatur : re nimirum , ſi in recta vivendi , ac ſciendi ratione verſemur , & ſpecie , ſi aptis ornatiſque verbis coeteros quoque ad bene vivendum cohortemur. Cumque nulla ſit ſatis ad perdiſcendum aetas , Juliani juris conſulti , Quintiliani , Ciceronis , aliorumque veterum monumentis , numquam a ſtudio vacandum , jugique meditatione ad percipiendam doctrinam acriter incumbendum contendit . Ad Philoſophorum quatuor celebriores diſciplinas deinde convertitur , nimirum Epicureorum , Stoicorum , Academicorum , & Peripateticorum ; quorum omnium ſumma principia refert ; ſed Epicureorum potiſſimum voluptatem paucis perſtringit . Tum Ciceronem , ex ejus operibus ac ſententiis , oſtendit Academicorum ſententiam ac placita fuiſſe plerumque ſectatum ; ſtudioque inveſtigandi veri ita fuiſſe affectum , ut & refellere ſinè pertinacia , & refelli ſinè iracundia facilè conſueverit . At plura ipſum arbitratur a Stoicorum fontibus hauſiſſe , ſuo judicio , atque arbitrio fretum . Magnanimitatis laudem , ejuſque proprietates poſtmodum profert , ac veri Oratoris nomen Ciceronem fuiſſe aſſequutum contendit ; qua occaſione in

ejus

Digitized by Google

ejus laudes excurrit . Sed cum in orationis laudem inciderit ſermo , inventione , diſpoſitione , atque eloquutione eamdem coaleſcere animadvertit. Ex iis autem, quae harum rerum occaſione eſt loquutus , in eam facilè ſententiam illum iviſſe comperimus,ut nemo poſſit eſſe omni laude cumulatus Orator,niſi omnium magnarum rerum , atque artium ſcientiam fuerit conſequutus . Quòd autem orationis duo ſint genera , alterum nimirum dicendi , alterum diſputandi , illud civilis turbae eſſe ac fori , hoc paleſtrae magis & olei putat . In utroque polluiſſe Tullium pluribus ſuadet ; magnamque praeterea laudem eos conſequutos , qui ſapientiam cum eloquentia conjunxerunt; quemadmodum Platonem , Demoſthenem , Ariſtotilem , Iſocratem , alioſque plures feciſſe intelleximus . Totum opus lectu digniſſimum eſt , quòd cum doctrina , tum ſumma eruditione ſit refertiſſimum ; nec poenituit profectò in eo ſemel & iterum plures horas collocaſſe .

Digitized by Google

De Dialogo, quem inſcripſit De Voluptate.

CUm maxima hujuſce libri pars perierit, difficili negocio operis oeconomiam atque argumentum aſſequi licuit; niſi quod de veterum diſcordia, ad voluptatem quod attinet, Auguſtinum Datum fuſiſſimè ſcripſiſſe comperimus. Duae inducuntur perſonae: Aporitus, & Crito: duo itidemque in editione apparent dialogi, quòd per oſcitantiam, priorem in duas partes Nicolaus editor eſt partitus. Nihilominus ſunt planè unus itidemque perpetuus dialogus, qui nec temporis, neque argumenti diverſitate diſtinguitur. Dialogus quem Nicolaus priorem vocat mutilus eſt. Quoniam, ubi diſputationis omnia fundamenta jecerat, itaut ſatis prolixam diſputationem aggreſſurus videretur, rem neſcio quo conſilio, quave ratione intermiſit „ Succurrente „ autem, inquit Editor Nicolaus, nova ma„ teria componenti Auguſtino, in ipſo veluti „ quodam mentis ardore, & ingenii conflictu, „ diſcurſuque animi, atque agitatione intelle„ ctus.... iterum opus aggreſſus eſt „ atque de Voluptate incepit. Ita-

Itaque in prioris, quem & ipſe dixerim, dialogi priori parte, peractis conſuetis dialogorum officiis, non nulla affert, quae cum iis, quorum poſſeſſio ad animum pertinet, conferre videtur, ſtatuitque haec longè praecellere. Tum ad Epicureos venit, quorum de Voluptate ſententiam in toto hoc opere fuiſſe perſequuturus videtur. Hac igitur de re ſatis fuſè in hoc dialogo, quem Nicolai Editoris oſcitantia alterum fecit, agitur. Cum multiplex poſſit eſſe genus voluptatis, ſintque praeterea, qui ab ipſa virtute voluptatem proficiſci arbitrentur, de ipſius tum primum voluptatis nomine, poſtmodum de re ipſa diſſerere pollicetur. Quo circa ad illud quod attinet, fabellam comminiſcitur de Volupia Veneris miniſtra, in cujus Sacello Divae Angeroniae Pontifices Sacra feciſſe tradit: adjiciens Angeroniae ſimulacrum in Ara Volupiae, obligato obſignatoque ore propterea veteres collocaſſe, quòd ſi qui angores ſuos, ac moleſtias diſſimularent, aequoque animo paterentur, eos, dubio procul tolerantiae beneficio, maximas voluptates omni ex parte capturos. Qua ex re Volupiam ipſam voluptati praeeſſe dignoſci arbitratur:

Digitized by Google

hincque vocabuli originem, rationemque traxiſſe ſuadet. Deinde ad rem venit. Quemadmodum multa ſunt, quae cum in bonam partem, tum in malam veteres uſurparunt, uti tempeſtas, facinus, dolus, fortuna, aliaque ſexcenta, ſic, Lactantii Firmiani teſtimonio, tres praecipuos animi affectus, nimirum iram, libidinem, atque cupiditatem, ſi ſuos limites fineſque ſervaverint, laudi, ſi a recta ratione recedant, vitio adſcribendos, pluribus iiſdemque probabilibus conjecturis, oſtendit. Omiſſis deinde tam variis, tamque diverſis, quae de voluptate veteres tradiderunt, ſuſceptam diſputationem aggreditur; ſtatuitque acturum primùm de voluptate, deque rationibus, quibus accipi poſſit, tum quare eam contemnendam, poſtremò quâm magno diſcrimine a virtute ac vera laude ſejungatur perpenſurum. Primùm illud itaque aggreſſus, oſtendere conatur juſtam eſſe aliquando, atque honeſtam voluptatem, nec raro turpem atque illiberalem. Verùm dum haec lectiſſimis argumentis perſequitur, deſinit diálogus. Nihilominus licèt ea, quae in poſterioris dialogi initio continentur, ſi cum ſuperioribus conferantur, non ita ſint conne-

xa,

xa, nulloque modo cohaereant; congrua tamen verborum ſerie, & concinna copulatione, perpetuo quodam orationis filo, conjungi, & in optimum ordinem diſponi per Editorem poterant.

In poſteriori ergo dialogo, poſtquam commune utrique illi voluptati voluptatis nomen eſſe oſtendit, trifariam iterum dividit voluptatem, in ſordidam nimirum, ac ſapientiae inimicam, ut titillari illecebris, ac carnis deliciis diffluere: In honeſtiſſimam, qua virtuti atque officiorum exercitationi indulgemus: & in alteram qua ſenſuum motu iis, quae ad vivendi, humanique generis conſervandi methodum pertinent, recta ratione delectamur. Tum, contra quàm in ſuperiori dialogo erat pollicitus, veterum ſenſa de Voluptate profert. Ab Ariſtippo & Epicuro incipit, qui eam eſſe ſummum bonum contenderunt. His opponit Antiſtenem, Speuſippum, & omnes ferè Academicos; qui id ſummum malum putarunt, unumque bonum eſſe judicantes, quod dolorem inter & voluptatem medium obtineret locum. Zenonem tum in ſcenam inducit; qui aliquod, quod indifferens ſtudium appellavit,

volu-

voluptatem fuiſſe arbitrabatur. Ad Critolaum, poſtmodum Diogenem, Platonem, alioſque venit; quorum ſenſa vel planè contra voluptatem, aut ſolùm pro honeſta voluptate fuerunt. Hanc autem honeſtam voluptatem ſtatuit eſſe mentis noſtrae jucunditatem quandam & gaudium cum recta ratione, quae numquam niſi ex virtutis opere atque actione acquiritur; quod quidem de mala voluptate dici non poteſt. Hanc autem malam voluptatem intelligere plerumque homines teſtatur, cum Voluptatis ſimplex ac nudum nomen uſurpamus. Pergit Author, & pluribus virtutem ab ea longè diſtare ſuadere conatur; adiicitque plura, quibus una ab altera, veterum monumentis atque exemplis, ſatis diſtingui contendit. Voluptatis deinde mala exponit, eamque tam deteſtabilem eſſe quàm peſtiferum morbum ſuadendo, modum diſputationi ponit. Adiicit tamen ad calcem quaſi pro corollario, centum circiter & decem Silii Italici carmina, in quibus Virtus atque Voluptas concertantes inducuntur. Jucundiſſima lectu res eſt, quae Philoſophum Datum noſtrum prodit; illumque veterum monumenta percalluiſſe praeclarè oſtendit.

De

De Libro, quem inſcripſit Iſagoge, de Ordine diſcendi ad Nicolaum filium.

OPtimam ſtudiorum rationem reliquit hìc nobis Datus, omni ex parte veterum exemplis refertiſſimam. Etenim brevi compilatione hìc collegit, quae a Grammaticis, Rhetoribus, Hiſtoricis atque a coeteris diſertiſſimis viris in eloquutionis varietate uſurpata ſunt. Eamdemque verborum delectu, ac ſententiarum gravitate non inelaganter exponit ſuaviſſimo filio, literarum ſtudioſiſſimo, & paterna inſtituta libenter capeſſenti. Ab ejus ingenii praeſtantia incipit, atque ad pietatem literis conjungendam, omnium primùm eumdem cohortatur. Tullianis operibus, & Terentii fabulis deinde, Criſpi Salluſtii, & Titii Livii Hiſtoriis dandam operam ſtudio maximo ſuadet. Ad tria genera orationis hinc convertitur, cujuſque propoſitum, atque virtutem exponit. Tum Oratoris officium perſequitur, ac poſtmodum rectae orationis oeconomiam tradit. Quoniam de exordio, narratione, diviſione, confirmatione, comprobatione, aliaque id genus plura habet. Sed

Digitized by Google

Sed ad comprobationem quod attinet non piguit afferre ejus verba, unde optimi Oratoris ingenium ac praeſtantia legentibus pateat.
„ Probanda verò inquit pleraque per argumen-
„ tationes, per enthymemata, per exempla,
„ ſed & per Sapientum Sententias, per re-
„ ſponſa Prudentum, per ſummorum virorum
„ authoritates, per leges ac jura, per inſtituta,
„ atque optimas ſanctiones, per aequum &
„ bonum, per approbatas conſuetudines, fir-
„ manda, amplificanda, roboranda erunt.
„ Adde etiam ſi libet, quod ipſe quoque facio
„ perſaepe, Prophetarum voces Agiographo-
„ rum oracula, Divini verbi ſacroſancta Elo-
„ quia, quibus nec firmius quicquam, nec
„ omnino certiùs afferri poteſt. Quo loco
„ erunt utique afferenda juſta, legitima,
„ utilia, oneſta, jucunda, facilia factu, ut
„ ſuadentes quae intendimus talia eſſe oſten-
„ damus, diſſuadentes verò contraria „ Pergit deinde, & unamquamque rem, ex iis quae ejus ipſis verbis ex eo attulimus, dilucidè, ac luculenter pluribus exponit: quid nimirum ſit juſtum, quid legitimum, quid utile; quid honeſtum, quid jucundum, quidque facile factu.

factu. De confutatione poſtmodum agit; per quam rejicimus in oratione, ac refellimus, quae ab adverſariis contra judicium noſtrum afferuntur. Tum de concluſione agit, ac peroratione. De illa agens „ imprimis inquit „ laudatur concluſio, quae cum breviter „ tum concinnè repetens, quae dicta ſunt, in- „ fluit in auditorum animos, ut facilè exin- „ de, ac memoriter teneantur. „ Sub haec ad argumentationem tranſit, quam quinque partibus conſtare teſtatur; nimirum propoſitione, rationum momentis, confirmatione, amplificatione, & complexione; quarum rerum oeconomiam atque virtutem exponit. Ad theſim praeterea atque hypotheſim pluribus venit. Cumque haec omnia ferè ad ſolius oratoris artem pertineant, ad filium convertitur; monetque illum, haec omnia ſuppeditare maximè Ariſtotilis Topicorum libros, Ciceronis ad Trebatium ſcripta, & Fabii Quintiliani praecipuè Oratorias Inſtitutiones; ubi de locis argumentorum diligentiſſimè diſſeritur. Tum de exornationibus agit, quas plerumque colores vocant, deque verborum ac figurarum varia ratione; quae omnia, in Iſagogico li-

bello jam edito, fuſiùs explicaſſe fatetur.

Ad delectum librorum poſtea venit: Terentium latinorum principem eſſe ſatis conſtare ait, cum ex coeteris, tum maximè ex eo, quòd in Tullianis ſcriptionibus vox ipſa Terentiana reſonare videatur. Et ad certam quod attinet verborum ſignificationem atque originem, longam veterum quorumque optimorum enumerationem habet; ex quibus, tamquam ex puriſſimis fontibus, veram cujuſque vocis poteſtatem atque virtutem haurire poſſumus. Sique de ſententiarum gravitate ſit agendum, Sacrorum Bibliorum imprimis vult habendam eſſe rationem. In coeteris autem filium ſuum dulciſſimum edocens haec habet. „ Secundùm haec verò Hieronymus, Auguſtinus, „ Ambroſius, Gregorius, Hilarius, Bernardus noſter, Leo, Lactantius, coeterique „ Catholici praeceptores non incelebres, „ magno tibi habeantur in precio....... „ Poſt haec ſuadeo, ut Ethica, quae de inſtitutione vitae, & uniuſcujuſque moribus, „ Oeconomica de gubernatione familiae, Politica de regenda Republica ab Ariſtotile „ ſummo Philoſopho ſcripta ſunt, legas, at-

„ que

„ que avidiſſimè amplexeris . . . . . . Sequan-
„ tur & aliorum quoque Sapientum dicta ,
„ praeclara reſponſa , ſalutares monitus ,
„ quae omnia abundè tibi ex Diogenis Laer-
„ tii patebunt elegantiſſimis monumentis . „
Cumque in Sapientes inciderit ſermo , ad Principem Ciceronem venit ; cujus opera , eaque imprimis , quae in lectiſſimam juventutem optimis latinis literis edocendam conferunt , ordine enumerat . Ad exercitationem memoriae poſtremò convertitur ; dicitque hanc neceſſariam eſſe
„ non ſolùm Juriſconſultis, quod vulgò ferunt ,
„ ſed Oratoribus etiam Philoſophis, & ingenua-
„ rum omnium diſciplinarum profeſſoribus . „
Quò ea, ut ipſe ait, minuitur ſi non exerceas, eò augetur per aetatem ac creſcit , ſi ſtudioſa & diuturna exercitatione excolatur . Ad negocioſam , atque ocioſam vivendi rationem , nonnulla , quae pertinent , proponit , virtutiſque bona , ac voluptatis mala perſtringit . Dumque , uti toto pectore incumbat ad laudem , filium cohortatur , finem dicendi facit . Abſolutiſſimum opus meo judicio eſt ; quod utinam ii legerent , qui vel publicà authoritate , aut ex ſuſcepto vitae inſtituto , ſeu victus com-

parandi gratia, lectiſſimae juventutis inſtitutionem capeſſunt. Mehercle enim melius de re literaria, deque juvenibus ſibi creditis mererentur.

De Libello, quem inſcripſit De novem verbis contra vulgatam multorum opinionem ad diſcipulos cariores.

HOc Dati noſtri opuſculum ſeorſum non ſemel extra ejus operum collectionem editum invenies; tantique ab eo fiebat, uti ad calcem eoſdem cariores diſcipulos monere conſueverit, etiam aliis, quorum eruditio curae eſſet, legendum traderent. Ejus autem meminit ipſe cum primùm Virgilii Aeneidos librum publicè explanare coepiſſet. De Grammaticorum legibus apprimè edoctum ſeſe exhibet in hoc opere Datus. In eorum opiniones, ac placita excurrit, oſtenditque principiò non ſolùm in verbis, ſed etiam in literarum elementis tam varia eſſe, ac diſſimilia eorum commenta, ut aſſerat eorum incerta eſſe omnia, eademque rejici poſse, non ſecus ac rejiciuntur Philoſophorum ſaepe atque Oratorum

Digitized by Google

torum ſententiae, & opiniones. Priſcianum, autem, qui Philoſophiam non raro cum Grammatica arte temperavit, inſectatur hìc maximè. Quòd „ ex mutis & conſonantibus literis Chriſtianae Fidei repudiaverit religionem: ex declinatione autem nominum, & conjugatione verborum neceſſarium intulit diſcedendum ſibi a Chriſto, & Juliano Apoſtatae adhaerendum. „ Hac occaſione laudat Laurentium Vallam; qui in ſingulis pene Priſciani locis, ubi ſeſe occaſio dederat, ejus manifeſtos corripuit errores. Ad rem grammaticam deinde venit, atque lectori ſuadet, non eſse religioni habendum, ſi a Grammaticorum praejudicatis frequenter opinionibus quis aliquando recedat. Quatuor, quibus eorum ars nititur, fundamenta nihil firmitatis habere contendit. Nam rationem ſaepe numero claudicare, variari authoritatem, vetuſtatem obſoleſcere, & conſuetudinem demum immutari. Quod quidem oſtendit pluribus Terentii, ac Virgilii Maronis locis, & veterum Juris conſultorum placitis in his vocibus „ veſperi, parcus, poſthumus, littus. „ Ad propoſitum negocium quod attinet, verba de quibus

erat

erat quaeſtio haec ſunt: Manes, Lucus, Bellum, Officium, Parca, Ludus, Ocium, Coelum, Eumenides. Haec per antiphraſim, nec per contrarium dici minimè poſse contendit; ſuamque cujuſque notionem ex veterum monumentis ſatis in incerto eſse. Quid ipſe de unoquoque ſentiat accuratè exponit; & ratione atque veterum praeſtantiſſimorum authoritate confirmat. In eorum originibus ducendis Grammaticorum, ſeu nebulonum baccantium ignorantiam identidem vellicat, quòd veterum, & imprimis Varronis opera eoſdem lateant. Cumque proprium eorum patrimonium debeat eſſe Poetarum pertractatio, Hiſtoriarum cognitio, (a) verborum interpretatio, pronunciandi ſonus & alia id genus; tamen nullam earùm rerum rationem eos habere conqueritur. Ad calcem operis monet diſcipulos, ut in vocabulis ac dictionibus pernoſcendis, non tam Grammaticorum ſcripta, quae ſaepe mendis refertiſſima ſunt, quàm doctiſſimorum hominum, & veterum & novorum monumenta diligentiſſimè exquirant, & ſcrutentur.

De

(a) Ex iis, qui edocent juventutem, puto non deſuturos, qui Dati noſtri, de Hiſtoriarum in hujuſmodi viris neceſſitate, judicium contemnant. Verùm ſi quam hac de re orationem Clariſſimus Sigonius confecit, vel leviter percurrant, iis quae ex Hiſtoria haberi poſſunt, melius rem Grammaticam eoſdem tractaturos arbitror.

De Libro, qui dicitur, Tractatus de Genio, & geniali hyeme ad Dominicum Biliottum.

DOminicus Biliottus admodum adoleſcens, cum veterum Poetarum ſtudio maximo teneretur, in haec Maronis prioris Georgicon libri carmina incidit.

.... hyems ignava colono
Frigoribus parto Agricolae plerumque fruuntur.
Mutuaque inter ſe, laeti convivia curant,
Invitat Genialis hyems, curaſque reſolvit.

Dubius anceplque Biliottus quid de hoc Genio, ac geniali hyeme ſentiret, Auguſtinum conſuluit, uti pro ſua in veterum enucleandis monumentis peritia, quid iis de rebus ſentiret, exponeret. Ejus itaque voluntati hoc opuſculo obſequuturus Datus, quaedam initiò habet de Genio. In qua quidem re Pompeii Feſti, Servii, Cenſorini, Plotini, Caii Flacci, aliorumque veterum doctrinam exponit. Statuitque eſſe Genium Deum quemdam „ ſi „ tamen credere dignum eſt, qui datur no„ bis naſcentibus, & in cujus tutela, ut quis„ quis natus eſt, vivit „ quam quidem rem ut

Digitized by Google

ut infra videbimus, etiam ad Chriſtianos pertinere ſuadet. Ad binos deinde Euclidis Socratici, ac Lucilii Genios venit, nonnullaque inſerit de Sacris, quae per omnem aetatem quotannis iiſdem fiebant; quoniam veteres tamquam numina quaedam Genios coluiſſe ſatis conſtat. Tum ad genialem propoſitam hyemem deſcendit; atque ex multorum authoritate eam contendit fuiſſe, ſolemnem illam conſuetudinem, qua agrorum cultores ex veterum more commeſſabantur, cum meſſe jam percepta, oleariis, vinariis, ac frumentariis cellis plenis, remiſſiſque rei ruſticae laboribus, quieti atque ocio, genio nimirum & ventri, cum ſervis, quibuſcum patientiam laboris in rure colendo toleraverant, indulgerent. Quo tempore vacui cura & laboribus, Saturnale ſolemne celebrabant: quod profectò initiò uno tantùm die, nimirum decimo quarto Kal. Januarii, deinde in triduum, mox & in ſeptem dies produxerunt. Sub haec non nulla, eaque optima affert ex Sapientis libris; quae ad eos pertinent, qui maximo Dei beneficio, victum ſibi comparant. Deinde ad Genium reverſus, plura inſerit de Genio, ſeu Daemonio,

nio,

nio, aut quodcumque aliud demum ſit, quod Socrati viſum eſſe tradunt: futura eidem indicaſſe, eumdemque ſaepe numero monuiſſe, uti ab agendo deſiſteret, cum id quod agere conſtituerat, non erat proſperè eventurum. Nonnulla habet poſtremò de Geniis tutoribus, quibus mortales cuſtodiri, ac defendi ſolemus; quod quidem fide Chriſtiana credimus, & Tobiae hiſtoriis ac Petri Apoſtoli, qui Angeli muniti fuerunt praeſidio, & Hieronymi praeterea, Magni Gregorii aliorumque teſtimoniis comprobamus. Ita ut, ſecundum Euclidis Socratici ſententiam non defuerint, & in iis Sanctus Gregorius Magnus, qui contenderent etiam malum Genium ſingulis praeſto eſſe mortalibus, quos pro viribus, exercitationis gratiâ, ad malum ſemper impellat. Sed hac de re „ ſecundùm Sacrae „ Scripturae veritatem „ alio accomodatiori loco ſe acturum pollicetur. Ad calcem cum ſermo ferè totus de Genio reque Geniali fuerit, ſtatuit id eſſe, quod eſt naturae maximè accomodatum; & Juvenalis, Naſonis, Pompeii, Feſti, Servii aliorumque teſtimoniis, plerumque ad voluptatem, ac feſtivitatem refer-

Digitized by Google

ri contendit; Quoniam de die Geniali, feſto Geniali, thoro Geniali, aliaque id genus plura ex iis afferuntur. Lectu digniſſima res eſt, in qua profectò lectiſſima habentur, quae ad Socraticum ingenium pertinent; quibus dubio procul ſeculo ſuperiori uti potuit Gothifredus Olearius vir clariſſimus, in ſua diſſertatione, quam in percelebri Academia Lipſiana, de Daemonio Socratis edidit. (a)

De Lectione, quam habuit cum primùm Virgilii Aeneidos explanare coepit.

ACcommodatiori profectò loco collocare hanc rem debebat Nicolaus editor, ubi nimirum haec ſcriptionum genera collegerat. Utcumque tamen ſit, omnium primùm in hac lectione proludit Datus de rebus ab Aenea geſtis in Trojano excidio, illiuſque in Europam adventu, eſtque haec proluſio veluti totius Marionani operis breviarium. Rem ab Auguſtino conſcriptam refert editor, ſed Petrum Fundium Dati noſtri Sororis filium eamdem ad Auditores recitaſſe comperimus. Andreoccio

(a) Apud Stanlejum de Vitis Philoſ. p. p.

cio Gerardo Senenſi Equeſtris ordinis viro inſcribitur ab authore hoc opus ſeu commentarium, quòd ejus authoritate ac cohortationibus huic elucubrationi animum adjecerat. Orditur a quatuor illis carminibus „ Ille ego qui quondam &c. quae Varus, & Tucca Virgilii & Horatii, ut Euſebius ait, contubernales, atque illuſtres Poetae detraxerunt; quòd tam alti ac praeclari operis exile nimium, ac jejunitatis plenum initium videretur. Quibus quatuor verſibus profiteri Virgilium teſtatur paſtorale carmen ceciniſſe, tum tradidiſſe agriculturae praecepta: jam verò ſcripturum ſeſe adventum Aeneae in Italiam, illius diuturnum errorem, ejuſque res geſtas. Exponuntur itaque hi verſus, ſicuti & triginta tres qui ſequuntur; tot enim priori hac lectione his commentationibus aggreſſus eſt Datus. De una quaque vel minima re verba facit, plus fortaſſe quàm aequum erat. Abditiſſima hìc inſerit, antiquorum hiſtoriae cum verae tum mythicae; nam nominum originem, civitatum initia, Heroum facinora, Ethnicorum, cum ſeſe occaſio offert inanem, & impiam religionem, & alia id genus perſequitur. Quin etiam ſaepe numero veterum placita ex

eorum monumentis, atque concordiam proponit. Ad illud de Aenea „ inſignem pietate virum „ Ciceronem animadvertit in Rhetoricorum libris, quos ut ad Q. Fratrem ſcripſit, inchoatos ac rudes ſibi adoloſcentulo excidiſſe comperimus, Pietatem a Religione ſejunxiſſe. Sed cum poſtea acriùs Philoſophari coepiſſet mutaſſe ſententiam, & Pietatem cum Religione, ex pluribus ejus teſtimoniis, conjunxiſſe oſtendit .. Lectiſſimum profectò commentarium hìc habet lector. Utinam quemadmodum haec totius operis ſuperfuit particula, ita rem totam literaria Reſpublica obtineret. Ut autem in hoc ſcriptionis genere, nam plures in veterum opera commentationes quemadmodum vidimus edidit, optimum Dati noſtri ingenium legentibus pateat, non piguit hìc hujus excerptum afferre, quò eorum quae diximus nonnihil praeclariſſimo teſtimonio comprobemus.

In illud itaque „ tantae ne animis coeleſtibus irae „ haec habet. Admirari ſeſe „ oſtendit Poeta Junonis inſectationes, atque „ inimicitias, quas adverſus Aeneam homi„ nem piiſſimum exercere videretur. Negant

„ Epi-

,, Epicurei, atque Stoici ſimul cadere in
,, Deum iram: quòd foedum ſit Divinitatis
,, majeſtatem pollui irae ardoribus, atque
,, ullis perturbationum fluctibus commoveri.
,, Et quamquam de fictis, atque commenti-
,, tiis Deis ſermonem Poeta intulerit, operae
,, pretium tamen erit, clariſſimorum homi-
,, num ac ſapientum hac de re noſſe ſenten-
,, tiam. Noſtram autem explanationem om-
,, nem, non ad falſorum Deorum vanitatem,
,, ſed ad veri ac ſummi Dei veritatem refer-
,, ri volumus. Iraſci Deum, & ratio ipſa
,, ſuadet, & ſcripturarum teſtimonia compro-
,, bant. Sed cum iraſci Deum dicimus: id
,, ita intelligendum eſt, ut nulla prorſus per-
,, turbatione concitetur. Hoc autem verbum
,, (ut eruditiſſimè Aurelius Auguſtinus diſſe-
,, rit) vindictae uſurpavit effectus. Nam &
,, ſi quaedam operum ſimilitudo in Deo ad
,, punienda hominum ſcelera ineſſe videa-
,, tur, nulla tamen affectionum humanarum
,, infirmitas cadere in Deum poteſt. Lactan-
,, tius autem Firmianus, cujus incertum eſt
,, utra fuerit, aut eruditio major, aut facun-
,, dia dulcior, pulcherrimè hunc locum diſ-

,, ſeruit,

Digitized by Google

„ ſeruit, cum in aliis libris, tum in his
„ maximè, quos de ira Dei ad Donatum
„ ſcripſit. Nam cum de gratia paucula eſſet
„ loquutus, tandem de ira Dei in hunc mo-
„ dum argumentatus eſt. Complures ſunt
„ inquit facinoroſi & nefarii, qui omnia cum li-
„ bidinibus polluant, caedibus vexent, frau-
„ dent, rapiant, pejerent, nec conſanguineis,
„ nec parentibus pareant, leges & etiam
„ Deum ipſum negligunt. Ex quibus infert
„ habere iram in Deo materiam. Neque enim
„ fas eſt eum, cum talia fieri videat, non
„ moveri, & inſurgere ad ultionem ſcelera-
„ torum, & peſtiferos nocenteſque debere,
„ ut bonis omnibus conſulat. Quidam verò
„ cum intelligerent pleroſque affectus non ca-
„ dere in Deum, ut libidinem, timorem,
„ avaritiam, moerorem, invidiam, omni pror-
„ ſus affectu vacare crediderunt. Sed cum
„ affectus duplices ſint alteri vitiorum, ut
„ quos modò nominavimus, alteri virtutis,
„ ut ira adverſum improbos, charitas erga
„ integros, miſeratio in afflictos, priores adeo
„ longiſſimè abhorret, poſteriores verò di-
„ vina poteſtas proprios, juſtos, veros habet,
„ hiſque

„ hiſque ipſis Divina juſtitia plurimùm illuſtratur. Sapiens igitur Vates non admiratur, „ ſi cadit ira in Deos Immortales, ſed quòd „ tantae eſſent animis coeleſtibus irae. At „ paucis verbis explicata a nobis quaeſtio eſt, „ quae forſitan librorum volumina poſtulare „ videbatur „ Graecorum volumina, ac Latinorum doctrinam percalluiſſe Datum noſtrum, ac Grammaticorum imprimis, libri hujus teſtimonio praeclariſſimè comprobatur.

De libro, qui inſcribitur Tractatus de Vita Beata.

INſcriptus eſt de vita Beata hic liber, propterea quòd quaeritur in eo, qua ratione, ſi qua detur mortalibus humana felicitas, eamdem aſſequi poſſint. Veterum Philoſophorum authoritate, ſententiiſque apprimè ad rem facientibus, oſtendit hìc Auguſtinus bonum hoc maximum facili negocio obtineri ab hominibus poſſe, ſi cum potiſſimum in pietate conſiſtat, nec rebus efferantur ſecundis, nec in adverſis animo frangantur: diem ſupremum,

mum nec metuant, neque optent, omnique denique mentis perturbationi, ſtudio atque opere maximo obſiſtere conentur. Principiò nonnulla praefatus, a Poetae Martialis undecim carminibus incipit, quibus extra virtutis cancellos ac limites pervagatus, corporis res, atque fortunae praeſidia vitam facere beatiſſimam eſt arbitratus. Deinde ſingula quaeque in iis carminibus continentur ſatis accuratè commentatione exponit. Commoda nimirum perpendit, quae mortalibus proficiſcuntur ex re non parta labore, ſed relicta, agrorum ubertate, honeſta parſimonia, tranquillitate, ac ſeceſſu a publicis rebus, corporis firmitate, amicorum voluntate, convictu facili, uxore morigera, brevibus noctibus, nullo mortis metu, nec deſiderio, quae omnia diligenti explanatione expendit. Praeſtantiſſima his ſuper rebus ex veteribus affert, quae cum eorum ingenium, tum rectam cogitandi methodum ſatis produnt. Illud profectò non eſt praetereundum Datum noſtrum hac explanatione Martialis ſenſa ſaepe numero in meliorem partem accepiſſe; quaeque Poeta ad humanae vitae ſolius oblectationem cecinit beni-
gniori

gniori ac mitiori ingenio ad Chriſtianorum temperantiam expoſuiſſe. Cum illud ejuſdem Poetae exponit „ Non triſtis thorus, attamen „ pudicus „ poſtquam bene multa ad Chriſtianorum connubium pertinentia protulit, ad eos convertitur, qui omnibus humanis illecebris contemptis, in rerum ſolùm cognitionem, ac veritatem ſtudio maximo intenti, cum multis aliis rebus, tum maximè ab uxoribus abſtinuerunt, quemadmodum Indorum Gymnoſophiſtas, pleroſque Graecorum Philophos, Judaeorum Eſſaenos, Egyptiorum Sacerdotes, ex antiquitate non admodum certa, feciſſe comperimus. De monachis, ac Sacerdotibus noſtris poſtmodum agens, hos excitat, hortaturque ſanctiſſimos viros, uti quae aliquando inſtituerunt, toto pectore perficiant. Plura e Graecorum fontibus Graecè intulit Datus in hoc operis; quod cum multis aliis eruditionis, atque doctrinae indiciis, tum etiam potiſſimum lectu digniſſimum eſt, quòd ad virtutis exercitationem non excitare, ſed impellere quodammodo videatur.

De opuſculo, quod inſcripſit
De ſeptem virtutibus.

DE ratione, atque oeconomia ſeptem virtutum, earumque praeſtantia, ac dignitate agit in hoc opuſculo Datus. Eae autem ſunt Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Juſtitia, animi magnitudo, ac Temperantia. Initio non nihil proludit, capta occaſione ab Eccleſiaſtis verbis „ excidit columnas ſeptem. „ Septenarium numerum miſteria contineri, ſeptemque illis columnis, ſeptem haſce virtutes ſignificari contendit. Tum ad rem venit, & de unaquaque, ſingulis capitibus recto ordine, verba facit: quidque de ipſis virtutibus ſentiendum, tenendumque ſit perſequitur. Ad calcem prioris capitis, ubi agit de Fide, quam capeſſere imprimis omnes debemus, monet eamdem etiam a voluntate manare; ſique ſinè charitate, ac dilectione ſit, mancam eſſe, ac ſolùm inchoatam. In tertio dum de Charitate agitur, ab ejus fontibus dicit virtutem proficiſci, atque ab ea reliquas omnes, tamquam membra a capite pendere. In horum priorum trium virtutum explanatione, quaeque Theologicae

gicae

gicae dicuntur, Sacrorum Bibliorum, ac veterum Patrum doctrina, ac placitis uſus eſt. Verùm in reliquis dum Sanctorum Patrum ſenſa, ac placita afferuntur, Philoſophorum quoque non parum habetur rationis. Stilus non inelegans eſt, ſed ſcholaſticorum voculis non ſemel ſcatet. Nihilominus ſcriptionis genus eſt, quod percurriſſe non poenitebit eos imprimis, qui cum Eccleſiaſtis munere funguntur, tum in virtutis laudem toto pectore incumbunt.

De Libro, cui titulus: de Sacramentis Panis, & Aquae ad Dominicum Biliottum.

HOc opus extra totam operum collectionem non ſemel editum invenies. Dominicus Biliottus Canonicus Senenſis graviſſimis Dati noſtri cohortationibus adductus, veterum Patrum monumentis, & Sacris imprimis Bibliis percurrendis, animum adjecerat. Cum autem in Prophetarum, aliorumque Sanctorum Veterum libris, Panis & Aquae Sacramenta crebrò uſurpari animadvertiſſet, de eorum germano, ac genuino ſenſu Datum conſuluit.

luit. Qui, ut Biliotto ſuo morem gereret, utriuſque rei explicationem, hoc opere quod duobus partitur libris, eſt aggreſſus. Non quidem ea perſequendo, quae de Aqua ſecundùm Philoſophorum excogitationes tradi poſſunt, quaeque de pane, pro hominum inſtitutione, comperta adinvenimus; quoniam haec, cum ſcriptionem longiorem poſtulabant, tum huic loco minimè convenientia videbantur. Sed iis ſolùm probabilibus conjecturis, ac argumentis uſurus pollicetur Datus, quae a Sacrorum Bibliorum Sanctorumque Patrum monumentis repeti poſſunt. De Aqua in priori agit, deinde de Pane in poſteriori.

Poſtquam igitur plura, quae ad Biliotti ipſius ingenium pertinebant, eſt loquutus, Sacrorumque Bibliorum illius ſtudium commendavit, ad Aquae negocium venit. Lectiſſima itidemque ac plurima Sacrae Scripturae loca profert, in quibus de aqua fit mentio; & cum plures hiſtoriae tum eae imprimis, afferuntur, quae de Probatica Piſcina, de Samaritana Jeſum Chriſtum ad puteum alloquente, deque aqua amariſſima deſperationis, qua Judaei (*a*) ute-

(*a*) Philo in lib. de ſpecialibus legibus, Num. c. 5.

utebantur, uti ſcelus proderent mulieris, quae in adulterii ſuſpicionem venerat. Omnia accuratè, ac diligenter expendit: ſelectiora loca cum aliis conferuntur, nec rarò clarorum virorum de iis locis judicium affertur. Plura praeterea, nec eadem ſemper, imo ſaepe numero longè diverſa, aquam in Sacris Literis ſignificare contendit. Quoniam aliquando gratiam indicat, aliquando culpam, nunc mare hujus ſeculi, nunc populos, Eccleſiam, aeternam felicitatem, modò Baptiſmi, ac Poenitentiae Sacramenta, modò deſidiam, atque ocioſitatem, viam Aegypti, carniſque immunditiam, nec raro virtutes magnas, cum quae Theologicae, tum quae Cardinales appellantur, aut demum virtutes maximas, vel maxima vitia. Cum Probaticae Piſcinae hiſtoriam pluribus perſequitur, haec de ejus origine minus probabilia eſt commentus. „ Ferunt inquit nonnulli
„ Reginam Sabam, quae venerat audire Sa-
„ pientiam Salomonis, cum in Domo Saltus
„ eſſet, vidiſſe in ſpiritu Dominicae Crucis
„ lignum; cumque ad Salomonem proficiſce-
„ retur eidem nunciaſſe, quae viderat, ac
„ ſubjeciſſe; moriturum ſuper eo ligno homi-

„ nem

„ nem, quo caeſo perituri Judaei eſſent, lo-
„ cum ſimul amiſſuri & gentem. Tulit ita-
„ que Salomon lignum, ac penitus humum
„ defodit, quo in loco, labente temporis cur-
„ riculo, Piſcina quam praediximus conſti-
„ tuta eſt. Haec a quibus Apocryphorum
ſomniis acceperit Datus neſcimus planè.

In poſteriori libro, poſtquam plura de iis eſt praefatus, quae ad hominis vitam ſuſtentandam pertinent, ac de Pane imprimis quo veſcimur quotidie, & nutrimur, idem inquit typicè loquens „ ad animam excolendam, virtu-
„ temque exercendam magnam vim habet. „ Lectiſſima deinde, ac plurima loca in quibus de pane agitur profert, panemque duplicem diſtinguit alterum laudis, alterum vituperationis: illum bonum hunc malum appellat.

Ad Euchariſtiam, Panem de Coelo verum, poſtmodum venit, quae animae eſuriem tollit ac ſatietatem affert. Sed ubi plura in ejus laudem eſt loquutus, de re alio tempore loquuturum pollicetur. Panem miſticum laudis ac doloris & Poenitentiae praeterea perſequitur. De Pane Divinae conſolationis, Doctrinae. Cognitionis, Pacis, Devotionis, Aeter-

nae

nae vitae & gloriae pluribus meminit. Panem autem vituperationis alium eſſe impietatis, alium pollutionis, alium inanis gloriae, mendacii, & crudelitatis oſtendit. Haec autem omnia, quae in his duobus libris non ineleganter, pro rerum atque argumentorum genere, continentur, Sacrorum Bibliorum locis, teſtimoniis, atque exemplis ſatis diligenter confirmat. Res eſt profectò, quae Datum produnt non Grammaticorum ſolùm quiſquiliis, aut veterum Ethnicorum monumentis dediſſe operam, ſed Sacrorum Bibliorum, & ſeveriorum diſciplinarum fuiſſe etiam ſtudioſiſſimum.

De Libro, quem ſcripſit de Connubiis Sanctorum, ad Antonium Turaminum.

ANtonius Turaminus Dati noſtri condiſcipulus, ac ſtudiorum conſors, in Sanctorum Patrum operibus perlegendis, bonos dies cum Dato noſtro collocabat. Contigit autem, ut dum Sancti Hieronymi in Jovinianum libros percurrerent, in eum inciderent

derent locum, ubi plurima referuntur probatiſſimorum virorum conjugia. Quam rem vehementer demiratus Turaminus, ad eas res e Sacris Theſauris promendas avidus ſimul, atque anxius eſt effectus. Tanto etenim ſacrarum rerum ſtudio tenebatur, uti cum coetera, quae legeret, tum maximè divinas hiſtorias magna diligentia, ac ſtudio perſequeretur. Putavit itaque Datus ſuarum partium eſſe, ut amicum hac cura fortaſſe non moleſta liberaret: Quaeque Jovinianus e ſacris literis, atque ex hiſtoricis imprimis retulerat exempla, ſeu potiùs miſcuerat, ac confarcinaverat, quo ordine poſſet, quove ſenſu intelligi deberent, aperiret. A Connubii itaque initiis atque inſtitutis in Adamo, & a Chriſti verbis de una viri ac mulieris carne opus orditur ſuum. Maritorum deinde ſatis longam enumerationem ab Adami liberis aggreditur. Identidem cum in clariſſimos viros incidit ſermo, & in iis Noemum, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Joſephum, Moſem, Samſonem, Jephtem, Samuelem, Davidem, Salomonem, Eliam, Eliſaeum, Ezechiam, Iſaiam, Danielem, & Zachariam, eorum quorumq; hiſtoriam veluti breviario-

riolum edidit. Cum de trigamo Abrahamo agit, communem de Agarenis, poſtmodum Saracenis, eſt errorem ſequutus. Ad caſtiſſimi Joſephi hiſtoriam cum venit, Reginam appellat, quae optimum adoleſcentem deperiit, & Regem Putipharem, quem ſolùm armorum Praefectum legimus. Salomonis Regis hiſtoriam omnium coeterarum fuſiſſimè percurrit. At quoniam e Grammaticorum reculis ac quiſquiliolis eorumdem contraxerat ingenium, quaerit, planè abs re, an Salomon, vel Solomon dici debeat, remque pluribus expendit; eumdemque Principem optimis argumentis Jeſu Chriſti typum fuiſſe contendit. Danielem, ac tres Pueros, Hieronymum contra Jovinianum ſequutus, dementis atque impotis animi putat eſſe inter maritos enumerare, quòd Eunuchos fuiſſe credat; eumdemque Jovinianum tamquam nec doctum, neque eruditum reprehendit, quòd Danielem, principiò ejus voluminis Balthaſarem cognominatum, eumdem ac Balthaſarem impium ac perditum Regem fuerit arbitratus. Quem quidem Daniel, ſeu prior Balthaſar de perobſcuro enigmate illo Mane Thecel Phares, ejuſque ſenſu edocuit. San-

ctum Petrum uxorem habuiſſe contendit . „ Coeteros verò , inquit , Apoſtolos uxores „ habuiſſe credere facilè eſt , confirmare diſ- „ ficilè : Siquidem nuſquam apud eos , qui „ aliquid dignum memoria prodiderunt , ſcri- „ ptam cujuſque Apoſtoli uxorem , & com- „ memoratam deprehendimus . Joannem au- „ tem Apoſtolum Virginem , ad extremum „ uſque ſpiritum permanſiſſe dubitare demen- „ tis eſt ; quem de nuptiis volentem nubere „ (niſi Hieronymus fallitur) vocavit Deus . „ Hoc opus , quod non inelegans eſt , haud magno cum labore Datum confeciſſe certum eſt , cum quòd res iſta per ſe clara erat , tum quòd in Divinis literis verſatum ſummopere illum fuiſſe ſatis conſtat .

De Libro Floſculorum ad Minoem Tricircium juvenem celeberrimum .

HUjus opuſculi , ad rem Grammaticam potiſſimum pertinentis , praeclarè meminit Nicolaus filius , omnium operum Editor , in oratione de laudibus Eloquentiae . Placet ejus verba hìc adiicere , cum ut operis oeconomiam ,

Digitized by Google

nomiam, & authoris propoſitum habeat Lector, tum ut cui adjudicandum ſit opus, facili negocio ipſe judicet. „ Erat autem, in-„ quit, Pater optimus magnum, ac praecla-„ riſſimum opus aggreſſus, & ſcribere voca-„ bulorum coeperat differentias, atque inſti-„ tuerat aperire dilucidè, quae ex illis diſcor-„ diae forent, quae Synonima, quae diver-„ ſa; & annotaverat manu propria, unde „ haec eſſent ſubindè, commodè, ac facili-„ ter mutuanda. Nos ſparſim ex iis verbis „ paucula quaedam, ac faciliora collegimus, „ & redegimus in libellum, quem noſtro in-„ ventu appellavimus floſculorum. „ Fiunt in hoc libello alphabetico ordine centum triginta rerum explanationes. Eae autem vel ſunt de vocabulis, vel perſonis, vel muneribus, aut virtutibus, & ſi quod eſt aliud rerum genus. Ex veteribus, & Tullianis imprimis operibus, deprompta hìc ſunt omnia, ſuntque itidem lectu cuique utiliſſima. Ex iis autem ſunt octo, quae ſolùm Sanctorum Patrum teſtimoniis comprobantur; nimirum de circumſpectione, triplici mortis genere, pecuniae ac peccati ratione, ſeveritatis quadam proprietate, deque

modo, quo differant nomina, meditatio, & contemplatio, & verba denique licere & expedire, reprehendere & maledicere. Placuit ex reliquis aliquid afferre, quò praeſtantia libelli, (licèt in eo non nihil ſatis mediocre occurrat,) lectori benevolo pateat. Cum itaque inquirit, qua ratione animus ab anima differat haec habet. „ Eſt enim animus „ divinior. Sed utriuſque differentiam aperit „ Macrobius, cum ſuper ſomnio Scipionis „ haec dicit. Animus propriè mens eſt; „ quem diviniorem anima nemo dubitavit. „ Quum ergo dicit animus datus eſt ex il„ lis ſempiternis ignibus, mentem praeſtat „ intelligi, quae nobis propriè cum Coelo, „ ſyderibuſque communis eſt. Quum verò „ ait, retinendus animus in cuſtodia corpo„ ris, ipſam tunc animam nominat, quae „ vincitur cuſtodia corporali, cui mens di„ vina non ſubditur. „ Cumque de labore agit. „ Labor, inquit, duplex a Cicerone „ ſignificatur: alter libero dignus viro: alter „ illiberalis. Et primus ille vocatur indu„ ſtria, qualis eorum eſt, qui in ſcribendo „ verſantur, atque elaborant; alter a politio-

„ ri

„ ri abhorret elegantia , ut ii faciunt , qui „ arant , fodiunt . Cicero in primo de Finibus libro . ut Terentianus Chremes non „ inhumanus , qui novum vicinum non vult „ fodere , aut arare , aut aliquid ferre ; denique non illum ab induſtria , ſed ab illiberali labore deterret . „ Non ſemel editum eſt hoc opus , etiam ſeorſum a coeteris Dati operibus .

De praeceptis , quae edidit , elegantiarum linguae latinae .

EXtra Datianam collectionem non ſemel editum invenies hoc opus , quod obtinet partem maximam ejus, quem Iſagogicum libellum pro conficiendis epiſtolis atque orationibus appellavit . Cum etenim ad calcem illius operis , de quo pluribus ſupra meminimus, fuiſſet pollicitus „ Alia quaedam non minus fortaſſe utilia , „ ſed multo graviora „ ſeſe adjecturum ; contigit ut novum adderet librum ; in quo etiam collegit ea omnia , quae in Iſagogico libello continentur: adjecitque multa alia, quae ex concocta , penè dixerim , Ciceronis lectione , ac diu-

diuturnis in eumdem animadverſionibus hauſerat; eo conſilio uti Juvenibus, qui amoeniorum muſarum Sacris initiarentur, breviorem viam ſterneret, utiliorem, atque faciliorem. Rem totam, ducentis ac decem circiter praeceptis eſt complexus, non ineleganti quidem ſtilo, cum exemplis a Cicerone petitis, tum ex variorum commentationibus in eumdem factis. Plura adjicerem de hujus operis praeſtantia ac dignitate; ſed ne eos, qui hodiernis moribus ultro alienos liberos edocendi provinciam ſibi ſumpſerunt, minus laudare videar, aut ſaltem minoris aeſtimare, iccirco lubens rem praetereo. Hoc tantùm ſatis erit meminiſſe, quod cum haec Dati praecepta, circa annum milleſimum quingenteſimum triceſimum octavum trans Apes perlata fuiſſent, atque in manus incidiſſent clariſſimorum virorum Aſcenſii Badii, atque Jodoci Clythovaei; dignam rem putarunt hujuſmodi viri, in quam ſapientiae, atque eruditionis nervos intendere poſſent ſuos. Quocirca luculentiſſimis ac prolixis animadverſionibus, & commentationibus praecepta haec omnia illuſtrarunt; atque ita explanarunt, uti ea percurrenti foenum, ut ajunt, & pulviſculum ſuper-
addi-

addidiſſe videantur. Librum totum, hiſce optimis doctrinarum acceſſionibus auctum, atque ornatum, Lugduni poſtero anno typis edidit Reinecius, in octavo paginis circiter trecentis; adjecto ad calcem operis ſyllabo vocabulorum, atque elegantiarum plurium, quibus uſus eſt Datus in quibuſdam opuſculis, quae Reinecius ipſe ſeorſum iiſdemmet typis ediderat.

DE AUGUSTINI DATI OPERIBUS

Vel publicae luci, aut omnino huc uſque ſubductis; ſeu planè deperditis.

De Oratione, quam habuit occaſione Foederis, cum Neapolitano Rege percuſſi.

NUſquam, quod ſciam, haec Datiani ingenii ſcriptio typis edita legitur. Eam legere licuit in Sigiſmundi Titii rerum Senenſium conſarcinatoris appendicibus, ad quintum tomum ſuarum collectionum, ad annum nimirum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum. Satis prolixa, elegans, ac copioſa

pioſa oratio eſt. Plurimùm de Regis ipſius Ferdinandi Aragonii, ac Senenſis Reipublicae laudibus agitur. Commoda praeterea, atque utilitates afferuntur Foederis, quod Leonardo Benevolentio, Senenſium ſuorum temporum in rebus publicis praeſtantiſſimo, conciliatore ictum legimus. Habita eſt in Templo Senenſium maximo eodem anno; atque ab eodem Auguſtino authore ad S. P. Q. S. recitatam legimus.

De Eulogio, quod confecit in laudem Guarini Poetae clariſſimi.

REm in pulverulenta vetuſtate, in tineis ac blattis adhuc latentem arbitror; cum neque typis editam, neque manu ſcriptam eamdem videre licuerit. Hujus ſcriptionis meminit ipſe Datus in priori epiſtolarum libro, cum ad Matthaeum Thomaſium ſcribit, plura ab Antonio Turamino Venetias profecturo, de ſe, ſuarumque rerum conditione accepturum. Nam ad hujuſmodi quod attinet rem, haec in ejus literis legimus. „ Oro te, inquit, ut „ longum ſermonem quem habiturus eſt, & „ meum eſſe exiſtimes, & ab Antonio (Tu-

„ rami-

„ ramino) tamquam ab altero Auguſtino „ accipias, qui ipſe defert Eulogium breve „ in Guarini laudem, quem vita defunctum „ vobiſcum luximus : ereptum terris frugi „ hominem plurimùm condoluimus „ Quantùm ex iis verbis conjecturam facimus, carmina fortaſſe, ſeu elegiacos verſus fuiſſe arbitramur; quibus non raro clariſſimorum virorum jacturam dolere conſuevimus.

De Annalibus, & Commentariis.

ANnales & Commentarios ſcripſiſſe: eiſdem, Pii Secundi Pontificis juſſu, ſupremam manum impoſuiſſe, remque omnem ad ipſummet Pontificem edidiſſe teſtatur Datus in priori epiſtolarum libro. Ubi poſtquam ea ſingillatim adnotaſſe retulit, quae digna putaverat ac vera, adjecit, contra quàm profectò Hiſtoriae canones decernant, ea operi inſeruiſſe, quae Pio eidem Pontifici gratiora futura viderentur. Audiamus Auguſtinum ipſum eadem de re, ſatis per aſſentationem, Pium Pontificem per epiſtolam alloquentem. „ Novit inquit, & me nihil optare magis,

„ quàm tuae Beatitudinis juſſa capeſſere ; & „ quod fidelem & diligentem ſervum decet, „ promptiſſimum tuae Sanctitati obſequium „ exhibere . Igitur cum me Senam recepi, „ quòd tua Sanctitas imperaſſet, Annales „ meos & Commentarios ab ipſo perſolvi ini- „ tio, & ea ſingillatim annotavi, quae digna „ putavi eſſe: quaeque gratiora futura eſſent „ tuae Beatitudini. Res fortaſse levior eſt „ quàm, quāe ad tuam Beatitudinem diriga- „ tur. Sed metiatur offerentis devotiſſimum „ animum &c. „ Rem deperditam, vel luci huc uſque ſubductam arbitramur; nulla quoniam licèt defuerit induſtria, tamen nuſquam illius, nec veſtigium quidem, invenire licuit.

De Libris, quos edidit de Philoſophia.

Libros quoque de Philoſophia ſcripſiſſe comperimus. Etenim cum de plagio conquereretur Laurentii cujuſdam, qui e libello Elegantiarum Auguſtini nomen eraſerat, ſuumque ſuffecerat, in epiſtola hac de re ad Matthaeum Thomaſium adjecit, ſi idem de Orationibus ſuis, ac de libris, quos de Philo-

ſophia

ſophia ſcripſerat eveniret, futurum ut qui in eo plagio lenitatem ac manſuetudinem experti erant, etiam amaros morſos experirentur. „ Quod ſi, (inquit in eadem epiſtola,) in „ orationibus meis, aut in iis libris, qui a „ me de Philoſophia ſcripti ſunt, idem fieri „ animadvertam; cujus lenitatem, & man„ ſuetudinem experiuntur, experientur etiam „ amaros morſus. „ Profectò de libris, qui de immortalitate animorum agunt Auguſtinum minimè loquutum credimus; cum, quo tempore eoſdem ſcribebat, morte fuerit intercoeptus.

De iis, quae ſcribere mens erat, de Sanctiſſimo Euchariſtiae Sacramento.

HAc etiam de re plura ſeſe ſcripturum eſt pollicitus Datus in poſteriori libro de Sacramentis panis & aquae. Nam cum de panis Sacramento ageretur, inque hunc miſticum panem ſermo incidiſſet, haec quae ſequuntur verba adjecit „ Si quis manducaverit „ ex hoc pane, ex ipſo vivet in aeternum.

„ Hic eſt panis de Coelo deſcendens , ut ſi „ quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. „ Si quis manducaverit ex ipſo, vivet in ae„ ternum. Hic panis eſt, quem pro immenſa „ largitatis ſuae bonitate , dat nobis Domi„ nus , & caro Chriſti eſt pro mundi vita ; „ quam niſi manducaverimus non habèbimus „ vitam in nobis . Sed de hoc alio tempore „ plura . „ Rem pollicitam an perfecerit incertum planè eſt .

De iis , quae ſcripſit ſuper Hebraicis literariis elementis .

IIs quoque de rebus non ſemel acturum eſt pollicitus in opere de Connubiis Sanctorum. Initiò etenim illius operis, cum de Eva agit , quam Deus vocari voluit viraginem , quoniam de viro ſumpta eſt , & Hebraicas literas , unde haec habentur, accuratè ac diligenter perpendit, haec habet „ Quo circa com„ modè aptiſſimèque a Hieronymo peritiſ„ ſimo rerum omnium viro ponitur , & vi„ rago . Sed haec alias „ Et iterum in eodem libro, cum de Rege Salomone ageretur , an nimirum

Digitized by Google

mirum Salomon vel Solomon ſcribi, & pronunciari debeat, poſtquam quae hinc quaeque inde afferri poſſunt attulerat, haec, ut ut ſint, adjecit „ Certè haud juſtum eſt tantas componere
„ lites. Apud me tamen plus Hieronymi au-
„ thoritas, quàm coeterorum omnium valebit
„ opinio; adeo ut cum eo errare malim, quam
„ cum reliquis bene ſentire. (a) Hebraei au-
„ tem ſcribunt primam Salomonis Syllabam
„ duobus punctis, ex quibus naſcitur ſonus
„ vocalis literae, medius ferè inter E, & O
„ vocales literas, qui rectius ut ipſe arbitror,
„ A pronunciari atque exprimi ſolet. Scribi-
„ tur enim Salomon quatuor Hebraicis literis
„ Sin Lamech Mem, & Heſelomoh, cui Lati-
„ ni, & Graeci in fine N. literam adjecerunt.
„ Noſtri enim vel addunt ſaepe N. vel de-
„ trahunt melioris ſoni gratia. Verùm de He-
„ braicarum literarum poteſtate dicemus la-
„ tiùs

(a) Dari ingenium hac in re minimè laudarim; quoniam ſi, qui errant non multi ſolùm, ſed plurimi ſint, imo etiam totius orbis pars maxima, non tamen hinc ſequitur ex errore fieri veritatem. Mortalium etenim genus ferè, omne in Infidelitatis ac Idololatriae calamitate diu multumque jacuit; nec unquam profectò e tanto exitio aliqua ejus pars emerſiſſet, niſi ipſe Dei filius aliquando deſcendiſſet. Ingemiſcens aliquando fuit orbis terrarum, ut S. Hieronymi verbis utar, ſeque Arianum eſſe miratus eſt. At neminem puto inficias iturum ab eis, qui cum Arianis ſentiebant, juſtam & idoneam excuſationem Deum accepturum.

„ tiùs alio fortaſſe commodiori loco, & tem-
„ pore „ locum iſtum ac tempus an aliquando fuerint planè ignoramus.

De iis, quae fortè ſcripſit ſuper Arte figurandi, ac de Gymnaſtica.

PLura etiam iis de rebus ſeſe ſcripturum eſt aliquando pollicitus. Nam cum Ciceronis Tuſculanas quaeſtiones publicè explanare coepiſſet, in illo precioſiſſimae commentationis, quod ſupereſt fragmento, ad eas quod attinet artes, haec verba inſeruit. „ Figurandi autem peri-
„ tia utilis Ariſtoteli videtur ad judicandum
„ ſolertius artificum opera, quemadmodum
„ & gymnaſtica ad ſanitatem, ac robur, ſed
„ de his alio loco plura „ An verò rem praeſtiterit, nullum in ejus operum collectione extat indicium.

De Libello quem ſcripſit Rerum, Novarum.

ID quoque aggreſſus eſt Datus, perfecitque unam diem. Rem deperditam, crediderim. Ejus meminit filius in oratione de paternis

ternis laudibus „ Libellum inquit quemdam „ rerum novarum (ſcripſit ,) quem ego nihil „ agens aliud , vix duobus diebus abſolviſſem „ ſcribendo perpetuò , neque inertes ſumus „ . . . . . . ſcribere mane Auguſtinus incepit ; „ & ejus diei veſperi , teſtor Coeli numen , „ complevit , nihilque conſueti vel officii , „ vel occupationis omiſit „ Rem quemadmodum diximus deperditam omnino arbitramur .

De duabus Orationibus , quae nullo modo ſuperſunt .

DE Oratione de laudibus Philoſophiae luci ſubducta , & fortè etiam deperdita , jam pluribus monuimus , cum ageremus de Orationibus , quae in priori Orationum libro continentur . Ubi teſtimonia adiecimus , quae rem ſanè confectam , jamque deperditam ſuadent . Fuit etiam oratio , quam , ex tempore juſſus Datus , habuit ad frequentem Senatum . Sed ſcriptis nullo modo fortè rem conſignavit . De hujuſmodi oratione ſic loquitur filius „ illius autem „ impraemeditatae concionis , quam ex tem-

„ pore

„ pore Datus habuit , de repente juſſus a „ Dominis Senenſibus in Senatu , cum is , „ qui orare debuerat , caſu quopiam fortitu- „ to , abſuiſſet. Ejuſmodi fuit initium . Scitis „ excellentiſſimi Magiſtratus , & vos ſcitote „ Patres ampliſſimi , me ex tempore , omni- „ no impraemeditatum , ac prorſus impara- „ tum hoc temporis articulo difficilem hanc „ ſubiiſſe provinciam . Haec Pater , & multa „ alia , ad eam rem conducentia dixit , & aptè „ proemiatus eſt , cum aperta deinceps nar- „ ratione , & contexta ſerie concionis exa- ctae .

De Hiſtoria , quam ſcripſit Civitatis Senarum .

HIſtoriam quoque fuiſſe aggreſſum Civitatis Senarum ab ejus initiis praeclarè accepimus . Hanc autem an mutilam reliquerit , aut ei ſupremam manum impoſuerit Datus , nuſquam invenire licuit . Profectò eam fuiſſe orditum Datum , atque in eo admodum fuiſſe , ut ad umbilicum ferè rem perduceret ſatis perſpicuè teſtantur verba , quibus ſexto

Eidus

Eidus Aprilis anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Senatus Conſulto jubetur Datus, rem totam planè abſolvere. Hujus hiſtoriae, quod ſciam, nemo huc uſque meminit.

De iis, quae fortè ſcripſit de Malo Genio.

DE malo Genio, ſecundùm Sacrae Scripturae veritatem, ſeſe ſcripturum eſt etiam pollicitus in opere de Genio, & Geniali hyeme. Nam cum teſtatus fuerit, non defuiſſe ex Chriſtianis, & in iis S. Gregorium Magnum, qui malum Genium ad ſcelera perpetranda mortalibus adeſſe fuerint arbitrati; adjecit ſe hac de re ſecundùm Sacrae Scripturae veritatem, alio accomodatiori loco acturum. „ Sed quae de his inquit ſecundùm „ Sacrae Scripturae veritatem dici poſſunt, „ alius erit accomodatior explicandi locus. „ Quid hac ſuper re geſſerit, quidve perfecerit inoertum planè eſt.

De quibuſdam Collectaneis.

COllectanea quaedam ſcripſiſſe non ſubobſcurè conjecimus in epiſtolarum priori libro; ubi conqueritur eum, qui eadem cum Hiſtoria Plumbinenſi Romam ad Cardinalem Piccolomineum Senenſem deferre debebat omnia perdidiſſe „ Apparitor inquit, cui complicatas „ cartas & Collectanea, quam contextam Hi- „ ſtoriam credideram, Senam regrediens miſe- „ ro mihi perdidit „ Hiſce de Collectaneis nullum aliud invenimus veſtigium.

De iis, quae ſcribere volebat ſuper Ciceronis Patriá.

HAc etiam de re diſſerturum in Commentatione ad Tuſculanas illius preſtantiſſimi viri quaeſtiones eſt pollicitus. Nam cum de Tullianae familiae ordine ac nobilitate in hoc Tuſculanarum quaeſtionum commentario ageret, haec de iis habet „ Tuilius proprium „ nomen eſt, Cicero verò cognomen; cum „ omni Ciceronum familia commune; quae „ & Tulliorum cognominabatur: quae, ut „ Silius Italicus teſtis eſt, inde uſque a Tul-

„ lo

„ lo repetitur . Nunc tamen Arpinatem ſe-
„ runt , quod nos ſuo loco diſſeremus ube-
„ rius „ Ejus rei nihil ſupereſt memoriae .

E Graeco Latinè reddidit dialogum , quem Halcyonem inſcribunt , ad Alexandrum Theologum Dominicanum . Hanc ſcriptiunculam genuinum credidit Platonis foetum . Leonti Academico tribuitur a Nicia Niceno apud Athenaeum libro undecimo ; & Phavorino tribuitur apud Laertium tertio . Extat nunc inter Luciani opera , tomo primo , pagina centeſima ſeptuageſima ſexta , Editionis Amſtelodamenſis . Cujuſcumque ſit opus (nam mihi non eſt tantum ocii aliena ut curem) ad literam id reddidit Datus, & verbum, dixerim, verbo eſt perſequutus. In quo quidem praeſtabat ſenſis ſtudere, & ſinè cortice ut ajunt natare, quàm verbis ad numerum fere redditis, rem non ſatis clara, ac terſa latinitate donare .

De Nicolai Dati Operibus .

QUoniam & de Nicolao filio pluribus egimus, non abs re futurum arbitramur, ſi de ejus quoque operibus nonnihil hìc inſerere placeat .

De opuſculo, quod inſcripſit: De Reipublicae Senenſis Scriba.

OPuſculum conſcripſit de iis, quae ad Reipublicae Senenſis Scribam pertinent, deque iis, quae illius amanuenſes praeſtare debeant. Ducentis ferè carminibus, non planè ſpernendis, exponuntur hìc, quae gerere debeat is, qui Reipublicae per eam tempeſtatem ab epiſtolis erat, atque a commentariis; quorum omnium in priori libro fecimus mentionem. Ut in hiſce carminibus conſcribendis Nicolaï ingenium omnibus legentibus pateat, non piguit ex iis nonnulla afferre, quibus jubetur Scriba, uti lectiſſimum juvenem ſibi comparet; cujus auxilio, cum acta in commentarium referantur, tum coetera, quae in Reipublicae bonum maximè conferunt, pro dignitate fiant.

Sit tibi praeterea, valeat qui ritè tabellis
Dictantis celeri verba notare manu.
Ac celer obſequio dextrae perſcripta citatae
Corrigat arbitrio iudicioque tuo.
Exſcribat rapida tenui meditata papyro

Dicta

Dicta manu: mentem concipiatque tuam.
Et caveas torto ſcribatur litera verſu,
Jungantur paribus quaeque elementa notis.
Sit bonus & doctus, fidus, raruſque loquendi:
Et cupidus famae ſollicituſque tuae.
Sit Juvenis: lector velox, vociſque ſonorae:
Sit civis natus nobiliore loco.
Arcanum ignoto quoniam malè creditur: ipſe
Corrigitur Juvenis, indociliſque Senex.
Plura quidem dixi pingens modò carmine qualem
Eſſe velim, nobis qui placeat Juvenem.
Hic dat enim multùm damni: multumve decoris
Affectus ſi ſic, aut aliter fuerit.

De oratione, quam inſcripſit de laudibus Eloquentiae, ac paternae virtutis.

SAtis prolixa eſt haec panegyrica oratio, quae, ad ſtilum quod ſpectat, non inelegans aliquando eſt, ſed non raro ſatis barbaris ſcatet vocibus. Quod quidem mirum maximè eſt, cum ad ſignificandam, prae coeteris, peccatorum noſtrorum vocalem expiationem, ne minus latinè loqui videretur, alteram & tertiam ſeſe explicandi rationem fuerit

rit commentus. Ineptè aliquando, & inſulſè de iis fatur, quae minimè in rem ſuam conferunt. Etenim non raro obtundit planè, atque imprimis, cum ſuum veritatis ſtudium non ſemel ſignificare conatur, ſed Hiſtoricae veritatis parum ſtudioſum Nicolaum noſtrum fuiſſe, ſatis ſuadent quae, ut non ſemel diximus, in Hiſtoriarum Senenſium paternum opus admiſit. Totius orationis altera ex tribus partibus, eoque amplius, in Eloquentiae ſiſtit laudes, & de Cicerone aliquando ſatis longam orditur laudem. Ad paternas laudes cum venit, egregiam Auguſtini dignitatem depingit, & compendiaria nimiùm utitur via; quoniam pauca admodum & vix quidem ex ejus praeclariſſimis geſtis perſtringit. Leviſſima autem ſatis accuratè narrat; inſeritque nonnulla, quae in rem propoſitam minimè faciunt. Tum in pleraque alia, quae ſenſiculum frigidum, atque ineptias redolent dilabitur, eademque ſaepe numero recoquit; atque ad leiuſcula ita divertit, ut nares legentibus hinc facilè contrahantur.

De

De Epitaphio, quo Sepulchrum ornavit Franciſci Ninii.

IN Sigiſmundi Titii collectioibus, ad annum milleſimum quingenteſimum tertium Epitaphium legitur ſexdecim carminum, quibus Nicolaus noſter ſepulchrum ornavit Franciſci Ninii, veteris amici, Philoſophiae ac Medicinae artibus praeſtantiſſimi.

Quae in paterna literaria haereditate, pertinaci profectò labore, Nicolaus egit, quae in Floſculorum imprimis libro praeſtitit, quaeque in Hiſtoriarum libris, non ſatis prudenti conſilio admiſit, jam pluribus diximus.

Extat tandem initio totius Collectionis Nicolai noſtri Epigramma, atque epiſtola, ad Cardinalem Senenſem. Quae omnia conſcripſit, cum in eo admodum eſſet, ut Auguſtini opera typis conſignaret.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

A

Academia Senenſis quam Magnam vocant, numquam Dato commendata. pag. 45.

Albizeſchii S. Bernardini miraculum 65. *Ferè ſemper Obſervantium Inſtitutor in publicis Senenſium epiſtolis appellatur.* 200. *Ejus Apotheoſi datur opera* 210. *Perficitur* 212.

Alphanius Thomas erroris arguitur 211.

Appianus Emmanuel Plumbinenſem Principatum obtinet 228. *In Senenſium Fide, & Clientela eſſe voluit* 230. *Conjuratio in eum detegitur. ibid.*

Appianus Jacobus paternum init Principatum 231. *Baptiſtinae uxoris Senas adventus ibid. Jacobi ejuſdem ultima valetudo & mors* 232.

Arabum Philoſophia ſeculo quintodecimo omnium maximè florebat 107 *Tenebras hominum mentibus offundit, ibid.*

Aragonius Alphonſus Calabriae Princeps beneficia atq; honores Datis contulit 80. 155. *Id ipſum fecit Aringheriis* 165. *Ejus in Etruriam adventus* 209 *Florentinis ac Plumbinenſium Principi bellum infert* 227. *Sed parum feliciter* 228.

Aragonius Joannes Rex Librum Iſagogicum Dati oſculari ſolebat 237.

Archiepiſcopi Senenſis authoritate in Lycoeo Sacras literas interpretatas 36. *Praefectus ſtudio-*

rum Senenſis Archiepiſcopus appellatus 129. *Etiam in Coenobiis ejus authoritate fiunt Sacrarum literarum explanationes* 204.

Ariminenſis Thomas occiditur 16.

Aringherius Franciſcus Dati condiſcipulus 4. *in ejus funere Datus orationem habet* 165. *Fuit Eques Hieroſolimitanus, ejuſque laudum indicia afferuntur ibid.*

B

B*adius Aſcenſius animadverſiones edit in Dati opus de praeceptis elegantiarum* 287.

Baltatius Anglarenſis armorum ductor in Plumbinenſem agrum irrumpit 226. 227. *miſerabili mortis genere tollitur ibid.*

Benevolentius Leonardus a noſtris gratis reprehenditur 78. *In rebus publicis coeteris Senenſibus ſuorum temporum praeſtitit* 288.

Benevolentius Bartholomaeus laudatur 185.

Benevolentius Ubertus plura ex publicis commentariis excerpſit 206.

Biliottus Dominicus Canonicus Senenſis Dati amiciſſimus 67. *Ad eum Datus edidit Stromatum libros* 238. *Librum quoque de Genio & Geniali hyeme* 263. *& praeterea opuſculum de Sacramentis panis & aquae* 275.

Bonoinſignis Bartholomaeus de literaria quaeſtione ſollicitus 189.

Bonoinſignis Laurentius. ad eum edidit Datus libellum de formulis conſcribendarum epiſtolarum 199.

Bulgarinus Gerius laudatur 182.

Bulgarinus Petrus Dati amicus 192.

Burgheſius Nicolaus doctus adoleſcens 189.

Bur-

Digitized by Google

Burgheſius Auguſtinus Senenſium orator ad Venetos 212. 214.

C

C*Allixtus III. Pontifex Senenſibus in magno rerum diſcrimine fert opem* 138. *Honores publicos eidem decernunt Senenſes ibid.*

Campanus Epiſcopus Aprutinus oratione a Dato collaudatur 166.

Capaccius Andreas Dati amicus 69. *Ad eum edidit Datus Iſagogicum Libellum* 233.

Carpenſis Manfredus Prothonotarius occiditur 16.

Cicero. Ejus opera perlegenda ſuadet Datus 27. 28. 29. 235. 237. 255. 257. *Nulli Philoſophorum Sectae addictus* 125. *Philoſophiae cum ocio langueret diligenter operam dedit* 245. *Academicorum placita eidem arridebant maximè* 248.

Clericus Joannes vellicatur 199.

Clithovaeus Jodocus commentationes edit in Dati opus de Praeceptis Elegantiarum 287.

Columnius Cardinalis Dati noſtri amicus 49. 50. 60. *Ejus epiſtolare commercium cum Dato* 176.

Comparius Loyſius In ejus funere orationem edit Datus 160.

Cordubenſis Ferdinandus laudatur 195.

Corrigius Gibertus per ſummam imprudentiam Senenſium armis praeficitur 217. *Ejus perfidia detegitur* 218. *Ex alta feneſtra in forum praeceps datur* 221.

D

D*Atorum Gentis origo* 1. *Ejus fuerunt duae familiae* 86. *Comi-*

tis titulum altera obtinuit 87.

Datus Auguſtinus. *Ejus indoles & ingenium* 2. *Ejus pueritia* 3. *balbus eſt, ſed liberatur; hinc blaeſos ferre non poterat* 7. & 8. *Hebraicis Graecis, ac Latinis literis ſtudet* 8. *Philoſophiae, Jurisprudentiae, ac Sacrorum Doctrinae dat operam* 9. & 10. *Urbinum advocatur eoque contendit* 11. 12. & 13. *Urbinatem Senem exagitat* 14. 117. 118. *vitae diſcrimen ſubiit* 16. & 17. *vult Urbino diſcedere, ſed humaniter retinetur* 18. & 19. *Orationem ibi publicè habet, ſed poſtmodum diſcedit* 19. *a Siculis advocatur* 20. *Romam proficiſcitur* 21. *Gymnaſium Senis aperit* 22. *Commentarios in veterum foetus edit* 23. *Amat literarium ocium* 24. *Auditores rectam vivendi rationem edocet* 25. *Ejus placita ad rationem, quod ſpectat ſtudiorum* 27. *uſque ad* 32. *Philoſophiae, ac Sacris Bibliis iterum dat operam* 34. 35. *Publicè haec docet* 36. *Ejus de Sacris Bibliis, atque veterum rebus judicium* 37. *uſque ad* 41. *Eccleſiaſtem agit* 41. & 42. *Ejus in arte dicendi praeſtantia* 43. & 44. 117. *Ad Rempublicam accedit* 45. *Legationes init. Romae Eucharistiae Sacramento a Pontifice reficitur* 47. *Aegrè verſatur in aula Romana* 48. 49. *Alias legationes init* 50. & 51. *Fit ſcriba* 51. *Senenſium res deſcribit* 52. *Amicis adeſt* 53. *Ad Sacros Codices animum adiicit* 54. *Bibliothecam, ut ludum aperit* 55. *Libros de animi immortalitate ſcribit* 55. *Peſte intercipitur* 56. *Ejus mores* 57. *uſque ad* 62. *Ejus amici* 67. 68. 69. *Sunt qui ejus famae detrahunt* 78. *Calidiſſimus eſt orator* 97. *Communem ſequitur ſuorum tem-*

temporum errorem in operibus, quorum nomina falſò circumferuntur 94. 98. 122. *Ciceronem nimiùm laudat* 98. *eumdem defendit* 103. *vellicatur* 106. 107. 133. 134. 149. 232. 233. 239. 281. 293. 294. 299. *orat publice imparatus* 111. 112. 115. *vox Terentiana in eo reſonat* 116. *Ciceronem de natura* Deorum *explanat* 120. *Maronis itidem Georgicon* 121. *Commentarium edit in S. Hieronymum contra Jovinianum* 121. & 122. *Idem praeſtat in Tuſculanas Ciceronis quaeſtiones* 122. & 123. *atque in Valerium Maximum* 126. *Ejus error de Xenodochio Senenſi* 136. *Pro aliis in multiplici rerum genere conficit orationes* 153. 154 156. *Matrimonii dignitatem ſummis effert laudibus* 172. *Praeceptiones, pro Senenſium Oratoribus conficit* 173. *Hiſtoriam iterum Plumbinenſem* Orditur.

Datus Auguſtinus junior 87.

Datus Hieronymus 85. *a Nicolao Patruele moribus, ac literis educatus* 85. *Publicè non ſemel patrui orationes recitat* 86. 157. 168. *Ejuſdem opera a Nicolao Patruele collecta typis edit* 90.

Datus Jacobus 63. *Deſpondet ſibi Geneveram Patriciam* 64.

Datus Joannes 63. *ejus manus enervata S. Bernardini miraculo evivuit* 211.

Datus Nicolaus ſenior. ejus laudes 2. *Ejus epiſtolae particulae la* 5. *Eſtant ad eum quamplures epiſtolae* 177.

Dàtus Nicolaus Higinus 66. *Patri cariſſimus* 78. 81. *Publicè non ſemel paternas orationes recitat* 80. 127. 155. 156. *Carus Mantuae, ac Cabriae Regulis. Comitis titu*lo

lo aliiſque honoribus cumulatus 80. *Etiam a Luſitano rege honoribus auctus ibid. Ejus optimum ingenium* 81. *Bononiam ſtudiorum cauſa a Patre mittitur ib. In Romana aula diu verſatur* 82. *moritur* 83. *Plura ſcripſit* 84. 90. *Patris opera collegit, ſed oſcitanter* 91. *reprehenditur* 100. 126. 180. 199. *Paternam Senenſium hiſtoriam corrumpit* 207. 108. *quem locum interpolarit* 219. 222. *Ad eumdem genitor tertium Stromatum librum inſcripſit, repraehenditur* 250. 251. *Ad eumdem genitor edidit Librum de ordine diſcendi* 255. *repraehenditur* 301. 302.

Data Theodora 66.

Data Petrona Margarita Auguſtini uxor 65.

Doccius Thomas in ejus funere orationem publicè habet Datus 162. 163.

F

F*Arneſii veniam a Senenſibus petunt, quòd Petilianenſium Principi ſuppetias tulerint* 217.

Felicitas humana, quae 271. 272.

Feltrius Oddo Antonius Datum Urbinum advocat 11. *Ferrariam contendit* 13. *occiditur* 15.

Feltrius Fridericus Datum Urbini retinet 19.

Florentini optimo Latinè ſcribendi genere Cancellarium florentem volebant 159. *Plumbinenſium rebus inhiabant* 229.

G

G*Enius quid* 263. 264. 265.

Geometriae utilitas 243. 244.

Germani Plumbinum ad Imperium pertinere contendunt 229.

Grammaticorum ignoran-

rantia perſtringitur 259. 260. *Hiſtoriarum cognitio iiſdem neceſſaria* 262.

Guarini laudes Eulogio cecinit Datus. 288.

I

Italici ſermonis elegantiae nullae erant ſeculo quartodecimo 157. 158.

Ira in Deum, qua ratione cadere poſſit 259. 260.

L

Latinè fere ſemper ſeculo quintodecimo cum publicè verba fierent & viri & mulieres loquebantur 159. *non pauci ex magnis Principibus literas latinas excolebant* 119.

Laurentius quidam plagiarius Auguſtini opuſculum ſibi falsò adſcripſit 234.

Luſitaniae Rex Nicolaum Datum honoribus cumulat 80.

N.

Nicolaus V. Pontifex Max. Datum Romam invitat 21.

Ninius Franciſcus Medicus. Ad eum edit Datus Librum quartum de animi immortalitate 108.

Nurſiae Civitas eruditorum expultrix 120.

O

Oliva Cardinalis Dati amicus 67. *Ejus cum Dato epiſtolare commercium* 177.

Olearius Gothifredus laudatur 266.

P

Panis & Aquae Sacramenta quid 277. 278. 279.

Pariſienſis Laurentius Dati auditor 71. *Extant ad*

ad eum Dati, *& hujus ad illum plures epiſtolae* 179.

Patritius Franciſcus Datum *condiſcipulum cohortatur ad literarum ſtudium* 4. *Genebriam filiam Jacobo Dato deſpondit* 64. *Ejus epiſtolare commercium cum Auguſtino* Dato 177. *In ejus Nuptiis* Datus *orationem habuit de Connubio* 181.

Petilianenſis Aldrobrandinus rerum ſuarum diſcrimen ſubit 217. *In Senenſium fidem ac clientelam recipitur* 218.231.

Petruccius Galganus Dati *amicus* 62.

Piccininus *in agrum Senenſem irrumpit* 219.

Piccolomineus *Aeneas Sylvius orator Caeſaris ad* Senenſes 214.

Piccolomineus *Andreas Caſtrum Leonis oppidum obtinet* 230.

Piccolomineus *Franciſcus Cardinalis Senenſis author eſt* Dato *ut Plumbinenſem hiſtoriam vel iterum ſcribat* 225.

Piccolomineus Guido. Ad eum edidit Datus libellum de diſcordia Philoſophorum 186. *& Tractatum de Natura, Fortuna, & Fato* 196.

Piccolominea Victoria Ferdinandi Regis Neptis Plumbinenſium Principi nupſit 232.

Plumbinenſis obſidio 210.

Plumbinenſis hiſtoria deperdita eſt, iterumque eam Datus exorditur 225.

Plumbinenſium Principum in quo ſtabat fortuna 229. *Non ſolùm tenella aetate ſed vel grandiores in Senenſium Clientela erant* 230.

Pientini ad diſſidium proni 62.63.

Poeſeos ars ſerò admodum Romae recepta 124.

Politus Lancellottus laudatur 90.

Priſciani impietas 261.

Re-

R

Recuperus Nicolaus Xenodochii Senenſis Rector 161.

Romanorum veterum opera cum Graecis conjungenda 240. *A Graecis accepta Romani fecerunt meliora* 241. *Poetae ſero nimium apud eos recepti* 422

S

Saba Regina. Fabula de ea 277.

Scalae Bartholomaei epiſtolare commercium cum Dato 179.

Scribae Senenſis munus & officium 51.

Senas ſeculo quintodecimo ex univerſa ferè Europa plurimi ad literarum ſtudium concedebant 163. *Ibi ſaepe numero fiebant generales conventus Monachorum* 145. *Nobiliſſimi Neapolitanorum Senas legati mittebantur a Regibus* 202. *Civitatis diſcrimen* 222. 221.

Senenſes, Magiſtratus ex urnis ſortiebantur 148. *Foedus cum Ferdinando Rege ineunt, ac poſtmodum cum Venetis* 214. *Nonnulli eorum proditionis rei puniuntur* 221. 222. *Ad Pietatem proni* 223. *Plumbinenſium rebus inhiant* 229.

Socinus Marianus in ejus funere Orationem habet Datus 162.

Stephaniſta Petrus Dato cariſſimus 72. 73.

Sutrinus Titus Orationem de laudibus Dati confecit 91.

T

Terentii opera perlegenda ſuadentur 27 28. 235. 237. 257.

Thomaſius Matthaeus plagium detegit 234.

Titius Sigiſmundus re-

rum

rum Senenſium conſarcinator 287.

Tricircius Minoes. ad eum edidit Datus librum Floſculorum 282.

Turaminus Antonius. ad eum edidit Datus opuſculum de Connubiis Sanctorum 279.

V

Urſinus Jacobus Senas a Petilianenſi Principe mittitur 215.

Urſini Reginaldi Plumbinenſium Principis plura habentur 228.

Urſinus Petilianenſium Comes in Senenſium ſide a Ferdinando Rege vivere cogitur 231.

IN PRAEFATIONE.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 3.	verſ. 18.	intructos	inſtructos.
Pag. 7.	verſ. 6.	publiaae	publicae.
Pag. 11.	verſ. 2.	ipſe	ipſae.
Pag. 13.	verſ. 4.	imaginem	imagines.
	verſ. 8.	ipſis	ipſius.
Pag. 12.	verſ. 11.	expoliſſe	expoliviſſe.
14.	19.	accepimnus	accepimus.
17.	1.	innocentiae	innocentia.
19.	5.	nequaquam	neque.
21.	17.	praecioſiſſimam.	precioſiſſimam.
23.	11.	nam moribus	nam in moribus.
24.	16.	ea	eam.
27.	1.	etſi	& ſi.

Digitized by Google

ERRATA:		CORRIGE.
31.	3. quaeque	quae.
38.	17. es eſſent	eſſent,
42.	23. conſequer	conſequar.
44.	9. extemplo	ex tempore.
48.	11. defaticant	defatigant.
52.	24. Sactorum	Sanctorum.
60.	25. mallebat	malebat.
62.	10. equm	equum.
67.	17. ea	eae.
73.	24. portendere	praetendere.
74.	8. velle	vellet.
75.	7. Iis de rebus	iis rebus.
77.	8. profectò laude	profectò cum laude.
79.	5. qui, cum	quos cum.
80.	2. aequeſtri	Equeſtri.
81.	25. optimiſque literis bene	bene, optimiſque literis.
82.	22. aut	an.
84.	12. agemus	oeconomiam exhibemus.
85.	6. eſitum	exitum.
94.	2. Eſſe hominum finem	ſit hominum finis.
95.	9. Rationis	rationi.
100.	21. penis	paenis.
104.	7. Eacho	Aeaco.
104.	12. Commenta	commenti.
112.	15. rectè	recta.
135.	4. hiſtoriam	hiſtoria.
137.	15. Epitome	Epitomen.
138.	4. Clariſſimi viri	Clariſſimos viros.
140.	7. Cum veteris teſtamenti	Cum veteri teſtamento.
141.	3. ſumma concordia	ſummam concordiam.
142.	6, quoad	quod ad.
143.	14. emerſiſſe	emerxiſſe.

ERRATA

ERRATA.		CORRIGE:
	20. emerſerit	emerxerit
154.	23. illud	illum
156.	25. nec	&
170.	14. hìc	huc
	19. una	unam
171.	1. quae	quas
174.	3. quorum	quarum
182.	10. tuebatur	utebatur
182.	23. hiſtoricè	hiſtoricè agitur
183.	23. poſſit	poſſint
186.	14. Philoſophiae	ac Philoſophiae
188.	20. nactus	nacto
193.	15. ſtribliginem	ſtribligine
194.	17. calamitatem	calamitas
209.	21. Tiburem	Tibur
210.	5. accuratèque	accuratè
212.	5. eloquentia ambo.	eloquentiae laude
215.	17. Principes	Princeps
216.	15. conciliamdam	conciliandam
217.	4. Aequitatu	equitatu
224.	25. latus al eſt	allatus eſt
225.	6. tra tradiderat	tradiderat
232.	10. a clientela	ac clientela
235.	7. chartas	cartas
236.	9. deoſculaſſe	deoſculatum
246.	3. viri	viro
266.	7. marionani	maroniani
287.	17. Apes	Alpes
291.	3. morſos	morſus
302.	24. lejuſcula	leviuſcula

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005672090

Digitized by Google